COMMENTARII

in Exercitia Spiritualia

S. P. N. IGNATII

COMMENTARII

IN

Exercitia Spiritualia

S. P. N. IGNATII

CONCIONATORIBUS ETIAM ACCOMMODATI

AUCTORE

P. Antonio Denis, S. J.

TOMUS SECUNDUS

ALMA COLLEGE
060.32
LIBRARY
D423
Alma, California

MECHLINIAE
EXCUDEBANT L. & A. GODENNE
—
1892

6347

Pars Secunda

SECUNDA HEBDOMADA

EXERCITIORUM

S. P. N. IGNATII

Generalis secundae hebdomadae conceptus

Viam purgativam, in prima hebdomada, sin minus perfecte, saltem, quantum necesse est, ad arripiendam in secunda hebdomada viam illuminativam, exercitans confecit. Abstersit enim magno intensoque dolore et Sacramento paenitentiae mortales totius vitae suae iniquitates, et, testimonium bonum reddente conscientia, tranquilla jam et dulci pace fruitur. Neque hoc tantum; sed mortalium saltem peccatorum radices, id est graves omnes inordinatas affectiones, immo, siquidem de *offensa* Dei ex filiali amore vehementer doluit, ipsa venialia peccata, utpote quae offensa Dei etiam sunt, abhorret.

Exinde tamen nequaquam sequitur exercitantem omnes omnino inordinatas affectiones de medio tulisse; ut enim hoc fiat, magna, saltem usque ad electionem, immo et usque ad finem Exercitiorum, magna, inquam, restat via conficienda; neque aliter via illa perfici poterit, nisi in ipsis sequentibus hebdomadibus. Quamvis enim optime meditationes circa Fundamentum fecerit, multum abest, non tantum ut obtinuerit, sed etiam ut perspexerit quousque aurea illa indifferentia pateat. Nam a principio percipere nondum debuit, quod humeri ferre necdum poterant; possibile autem illud erit in posterum; immo et, accedente amoris Christi gratia, leve ac dulce videbitur. Tunc solum, practica, v. g., divitiarum et honorum indifferentia exercitanti plene proponetur, cum exemplo Christi confortatus fuerit; immo forte ei paupertatis et opprobriorum electio suadebitur.

Interea ad viam illuminativam jam accinctus est exercitans : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Quinimmo si talis est, qualem eum magna Exercitia requirunt, ad summos etiam perfectionis apices contendere ac pervenire poterit. A talibus enim, non mediocria, sed altissima exigit ille qui semper majorem Dei gloriam in omnibus ob ocu-

los habuit. Sicut aquila nempe pullos suos ad volandum provocat, et alis eos suis sustinet, ita Ignatius discipulos suos qui ad Solem justitiae sese erigunt parat, excitat et accendit. Meminit enim verbi Joannis de Christo : *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum;* et illius : *Non est qui se abscondat a calore ejus.*

Exercitanti, postquam viam dereliquit quae per peccatum mortale ducit ad mortem aeternam, invenienda via est quae ducit ad vitam. Quemadmodum igitur, cum jussu patris sui, Tobias aliquem quaesiturus qui eum in Rages, civitatem Medorum, tuto duceret, *egressus, invenit juvenem splendidum, stantem praecinctum, et quasi paratum ad ambulandum. Et ignorans quod Angelus esset, salutavit eum et dixit : Unde te habemus, bone juvenis?* sic exercitanti purgato et gratia ornato, exhibet se, non Angelus aut Archangelus, non unus ex Cherubim aut Seraphim, sed Filius ipsemet Dei, homo simul et Deus, ut eum in caelestem patriam tuto ac certo deducat. Quem si interroget : unde te habemus, bone Jesu? respondebit : Ego sum Filius Dei vivi, qui ut te redimerem, tibique paradisi viam exemplo et doctrina ostenderem, *exivi a Patre* et caro factus sum : *Novi omnia itinera* (Tob. v).

Venit igitur Christus ut hominem peccato deformatum reformaret; venit ille qui perfecta et consubstantialis imago est Dei Patris, ad reparandam, restituendam, novoque ac divino splendore ornandam in homine imaginem et similitudinem Dei. Unum tantum ab homine ad hoc requiritur; scilicet, ut Christo obaudiat. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite* (MATT. 17, 5), eumque sequatur dicentem : *Veni, sequere me* (MATT. 19, 21)... *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris* (Io. 8, 12).

Quid igitur S. P. N. excogitavit, quoad reliquam Exercitiorum partem? Quid proprium, quid distinctivum in ignatianorum Exercitiorum conceptu reperitur?

Conceptus ille simplex aeque ac admirabilis est. Christum Jesum quasi ad vitam mortalem revocat, ut conspicientibus nobis, eam, ad exemplum nostrum et solatium, remeet vitae seriem quam olim percurrit; atque ideo vult S. P. ut exercitans ita praesentia sibi repraesentet Mysteria, ut ea, quasi modo fierent, sibi videre videatur; nimirum ut cum Christo vivens et ambulans ipsum contempletur, divinam doctrinam quasi ex ipso ore ejus excipiat, eum ardenter amet, ei adhaereat, eum ubique divinis ipsius illecebris

captus sequatur, atque in omnibus ex amore imitetur; verbo, ipsum illius privilegii participem efficit, quo Beatissima Virgo, S. Joseph, Pastores, Apostoli, ceterique omnes qui cum Christo vixere, fruiti sunt. Quem enim fructum ex consortio Jesu cum hominibus ambulantis illi collegerunt, colliget et ipse, amorem videlicet tenerrimum et generosissimum, paratumque animum ad omnia etiam durissima pro Salvatore Deo et sustinenda et amplectenda. Hoc sensu et ex hac intentione omnia vitae, passionis et gloriae Christi Mysteria ob oculos exercitantis continuo exponit Ignatius, capitalia quaedam exercitia interponens quae ad perfectionem omnimodam, ad consilia evangelica, immo et ad vitam apostolicam *idoneos* disponant.

Dixi *idoneos;* nam, ut ait Directorium, requirebat S. Ignatius in iis qui facturi essent Exercitia secundae hebdomadae, magnum fervorem, ac desiderium progrediendi ulterius *ad deliberandum de statu vitae;* ceteris pauca ex hac hebdomada ad vitam christianam melius instituendam concedebat.

Juxta scopum S. P. N., secunda hebdomada in duas partes omnino distinctas dividitur, quarum prior ab Incarnatione ad Ascensum in templum, Christianis omnibus communis,

ea continet quae praemittuntur ante omnem circa statum vitae eligendum considerationem, et vitae Christi privatae magis respondet; posterior autem, quae, paucis exceptis, iis tantum convenit qui ad consilia evangelica vitamque apostolicam vocantur, aut a quibus magna sperari possunt, ab Ascensu ad templum ad finem usque extenditur, et vitae Christi publicae magis respondet. Hinc S. P. contemplationi de Ascensu in templum, praeambulum ad considerandos status subjicit, et continuo meditationes de duobus Vexillis et de tribus Binariis proponit. Dein Mysteria illa veniunt quibus divinus noster Servator, tanquam vitae consiliorum evangelicorum et apostolicae vocationis exemplar, ob oculos exercitantis versatur.

SECUNDA
HEBDOMADA

Contemplatio de regno Christi

Haec contemplatio introductio est ad sequentia Exercitia, et novum fundamentum, cui reliqua omnia innitentur, aedificat; quo posito, ad sequendum Christum vitae ejus mortalis ac passionis Mysteria exercentem invitabunt; invitabunt pariter ea quae ad vitam ejus gloriosam pertinent. *Si terret labor, merces invitet.*

Tanti momenti haec contemplatio est, ut nisi bene fiat, ex illaque exeat exercitans cum heroïca etiam Christum sequendi, quocumque ierit, voluntate, sive ad vituperia omnia, sive ad ipsam voluntariam paupertatem, quae non parva sunt, defuturus ei sit animus ad ea quae in sequentibus occurrent. Ideoque S. P. exigit ut bis saltem fiat haec contemplatio; immo, nonnunquam multum proderit, si pluries etiam fiat. Quippe omnia quae postmodum ab exercitante expostulare Deus poterit, in vera atque animosa sequendi Christi vo-

luntate, ad modum consequentiae et quasi in germine, continentur. Hanc seriam voluntatem, non velleitatem, habuit Ignatius, et quidem in gradu heroïco, cum surgens e lecto in quo decubuerat, se per manus Beatissimae Virginis Christo Jesu totum obtulit, ut novi Ducis sui exemplo, ad solam eamque majorem Dei gloriam, ad extremum usque viveret ac militaret. Hinc quasi sponte ad summam paupertatem convolavit, et ex imo pectore opprobria Christi anhelavit.

Cum sit haec contemplatio de Regno Christi fundamentum, sicut generale Fundamentum primam hebdomadam praecessit, ita illi non praemittit S. P. titulum : *secunda hebdomada,* sed simpliciter orditur a titulo sequenti :

Vocatio regis temporalis

juvat ad contemplandam vitam Regis aeterni

Quemadmodum uniuscujusque Scriptoris sacri ingenio Spiritus Sanctus ita se accommodavit, ut in omnibus una quidem divina inspiratio fulgeret, modus tamen et stylus cujusque proprius pro ingeniorum varietate existerent; ita et Ignatii nativam indolem non

mutavit Deus, sed singulari ad quam eum vocabat, sanctitati accommodavit. Militem fortissimum eum accepit, fortissimum militem servavit, sed quam mire transformatum! Frustra jam in novo milite Christi pampelonensis militis jactantiam militarem requiras. Ex quo discipulus Christi factus est, factus est et in omnibus similis Christo. Fortitudo non defuit Christo : *Quis est iste qui venit de Edom... gradiens in multitudine fortitudinis suae?* (Is. 53). Nec Ignatio deerit fortitudo; sed militarem superbiam assecla Christi, cum humilitate ac modestia commutabit et cum mansuetudine castrorum ferociam. *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.* Si igitur S. P. in priore hujus contemplationis parte de animo militari, de ignavia, de victoria, de spoliis loquitur, non ideo id facit quod mundanam gloriam et divitias etiamnum magnifaciat, sed ut vanitati veritatem, humanis divina opponat.

Notemus S. Patrem numquam, ubi in extenso aliquam meditationem exponit, non repetere ab initio verba haec : *Oratio praeparatoria sit consueta;* res enim capitalis est, non solum quia sine gratiae auxilio ne nomen quidem Jesu modo supernaturali ac meritorio dicere possumus, et quia gratiam bene orandi precando obtinemus : *Doce nos orare;* sed ma-

xime etiam quia in oratione praeparatoria qualem eam concinnavit S. P., liberalitas, quae tantopere in quinta Annotatione commendatur, semper renovatur : *Ut omnes meae intentiones, actiones et operationes* PURE *ordinentur in servitium ac laudem suae divinae Majestatis.*

Primum praeambulum est compositio, videndo locum. Erit hic videre visu imaginationis synagogas, oppida, et castella, per quae Christus Dominus noster praedicabat.

Quamvis finis hujus hebdomadae sit totius vitae Christi imitatio, non tamen incipit Ignatius in novo hoc fundamento a primis vitae Jesu Mysteriis, sed a vita publica, generali aliquo conspectu et generali vocatione ad Christi sequelam proponenda. Ubi autem exercitans vocationi Christi obtemperaverit, tunc tantum ad prima Mysteria, Incarnationis etc. adducetur, ut totam divinae vitae seriem contempletur. Cum praeterea per integram hanc hebdomadam in Judaea cum Christo permansurus sit, S. Ignatius diversa loca quae Christus perambulabat quasi praesentia imaginationi exhibet, synagogas, oppida, castella; ut de Mysteriis meditans, ea non quasi praeterita, sed quasi praesentia ob oculos habeat, et inde multo magis moveatur.

Secundum (praeambulum) poscere gratiam quam

volo (cupio). Erit hic petere gratiam a Domino nostro, ut ne sim surdus ad ejus vocationem, sed promptus ac diligens ad explendam ejus sanctissimam voluntatem.

Cum singulis fere in meditationibus semper repetat S. P. N. haec verba : *quod volo, quod cupio,* similiter et qui tradit Exercitia iis singulis fere vicibus diligenter insistat, eaque exercitanti omnimode inculcet; nisi enim obtinendi effectus *(servitii et laudis divinae Majestatis)* seria et firma voluntas extiterit, fructus quidem aliquis colligi poterit; sed fructus nequaquam ille erit quam S. P. intendit, quemque vi sibi insita Exercitia producere, cum divina gratia, et possunt et debent. Quod enim in machinis viae ferreae vapori ignis est, id in meditatione quoque est ardens illa voluntas; quae si desit, deerit et illa facultatum operatio, quam praeclarae gratiae exposcunt. *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.*

Petitur semper gratia in praeambulo, nam Christus dixit : *Sine me nihil potestis facere*, et, *Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum.* Quis enim sequi Christum in tam arduis poterit, nisi ab Eo vinculis gratiae et amoris attractus fuerit? *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* Dicit autem S. P. jam

non amplius Deo Domino nostro, sed Domino Nostro, scilicet Christo, qui jam ut Dux noster nobis praeibit et cum quo immediate res nobis erit.

Promptus, nam *nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia; diligens,* ardua enim a nobis expostulabuntur; nec sine illa diligentia quae in 5ª annotatione vocatur *magnanimitas et liberalitas,* res ad effectum deduci poterit.

In ipsis orationis vocibus congerit S. P. argumenta quae nos ad Christi sequelam provocent et quasi cogant : *a Domino nostro :* Dominus est, et inde jus habet ad obsequium nostrum; *ad ejus vocationem :* vocat; ergo respondendum : *ecce venio;* agitur, non de desiderio, sed de *voluntate* ejus, quam amare, revereri et sequi cupidissime debemus, utpote *sanctissimam.*

Petimus autem gratiam, non utcumque faciendi, sed *explendi* ejus voluntatem, quaecumque et quantumcumque perfecta a nobis repetat. Voluntas vero illa quae futura sit in specie, non innuit hic S. P., ne imparatus terreatur exercitans, oblata ei re quam non potest portare modo, feret autem postea cum magno gaudio; sed in genere divina voluntas dicitur, quam quisque amplecti debere se sentit, quaecumque illa demum sit futura.

Prima pars Exercitii

Vocatio regis temporalis

Primum punctum est, proponere mihi ob oculos Regem quemdam humanum ab ipso Deo Domino nostro electum, cui reverentiam exhibent et obediunt omnes Principes et omnes homines Christiani.

Haec aeterni Regis cum rege temporali comparatio martiali S. Ignatii ingenio accommodata, non ipsum tantum, sed et coaetaneos ejus, apud quos sola fere militaris gloria vigebat et eminebat, commovere quam maxime poterat; neque nostris temporibus magnos praesertim animos inveniet frigidos. Evidenter hic S. P. sacris Cruciatorum medii aevi militum bellis alludit, cum hoc discrimine quod non jam de vindicando Christi sepulcro, sed de subjiciendis Christi jugo infidelibus agatur. Atque immo melius etiam intelligetur, si multorum saeculorum perpetua bella inter Hispaniae Christianos et Mauros recordatus quis fuerit.

In rege temporali, qualem eum effingit S. P. tria divina sunt : ejus *electio,* nam ab ipso Deo eligitur et consecratur; ejus *missio,* ad quam ordinatur ejus electio; demum certa

divinitus ejus *victoria*. Cetera vero omnia humano more fiunt. Neque ullo modo fuisse e mente Sancti Ignatii, fortissimi olim militis, videtur supponere, neminem ex illo exercitu fore in bello moriturum. Etenim honori militari talis suppositio omni quidem, sed maxime Ignatii tempore, apud equites, de quibus hic agitur, omnino repugnasset, fuissetque cum contemptu abjecta. In eo enim militis decus ac fortitudo consistit, ut intrepidus morti occurrat; atque ubi commoda multa et periculum nullum, ibi nulla gloria. Relicta ergo servandae vitae certitudine, dicamus nihilominus cum P. Roothaan : « Cum » vero, etiam absque hujusmodi certitudine » de victoria, vel sola spes dubia incredibili» ter excitare militum animos soleat; quem, » quaeso, sensum in nobis excitare debent » omnia illa, quae diximus, in humanis qui» dem nova, et inaudita, quaeque non nisi » per miraculum fieri posse intelligimus, at » quae in Rege Christo sequendo ita se habent » omnino et cumulatissime? »

Rex vero ille temporalis, quem fingit Ignatius, tantae dignitatis tamque extensae jurisdictionis est, ut nullus unquam fuerit aut futurus sit, qui ullo modo ei possit assimilari. Ipsorum enim regum eorumque subditorum

rex est, ejusque auctoritas in universum mundum sive fidelem sive infidelem extenditur; nec propterea tantum quod principes atque omnes homines Christiani ei reverentiam et obedientiam exhibent, sed quia immediate a Deo est electus et quodammodo consecratus. Nam quamvis omnis potestas, etiam per electionem, aut hereditatem, aut civilem contractum collata, a Deo mediate sit, et jus ad reverentiam atque obedientiam habeat, multo tamen excellentior illa est, quae a Deo ipso immediate confertur. Quam excellentiam, strictissimamque reverentiae et obedientiae obligationem his verbis reverentiae plenis exprimit S. P. : *a Deo Domino nostro electum.*

Secundum punctum, *attendere quomodo iste Rex loquatur ad omnes suos, dicens : Mea voluntas est subjicere omnem terram infidelium : proinde qui voluerit mecum venire, debet contentus esse cibo quo ego (utar), itemque potu et vestitu etc. similiter debet laborare, ut ego, interdiu, et vigilare noctu, etc., ut ita dein particeps mecum fiat victoriae, sicut fuerit laborum.*

Ita hic S. P. omnia attemperat, ut regis temporalis conditiones in ordine naturali cum conditionibus in ordine divino a Rege aeterno proponendis, quantum natura rerum patitur, perfecte quadrent; et sic quidem ut priores

conditiones ab eo, qui vel minimum animi militaris habuerit, recusari non possint; si vero accipiantur, posteriores a fortiori et quasi necessario pariter suscipi debeant. Quae cum tam eximiae sint, oratio regis brevissima et simplicissima est; ubi enim res tanta est, non solum non prodest, sed nocet omnis orationis prolixitas et emphasis; quapropter ac multo potiore ratione brevior etiam et simplicior erit oratio Regis aeterni.[1]

Regis propositum : *Mea voluntas est subjicere universam terram infidelium.* Hoc propositum tantae molis est, ut divinam electionem et missionem requirat : supponit enim in rege, cum certa divini auxilii spe, voluntatem sui regni ad extremos usque fines orbis extendendi. Quis vero non sentiat, tam insignem expeditionem, saeculo praesertim S. Ignatii, ad equestres ac religiosos animos commovendos et inflammandos fuisse aptissimam? Ideoque neminem ille rex ad se sequendum cogit, immo nec multum invitat aut suadet, sed simpliciter ferendas conditiones exponit, quae tales sunt ut vehementer alliciant.

Conditiones et praemia : *Proinde qui voluerit mecum venire, debet contentus esse cibo quo ego (utar), itemque potu et vestitu etc. similiter debet laborare, ut ego, interdiu, et vigilare noctu, etc.*

ut ita dein particeps mecum fiat victoriae, sicut fuerit laborum.

Expeditionis incommoda et labores, sincere et aperte declarat, nedum dissimulet, quae omnibus bellis sunt communia; sed, quod commune non est, nec unquam visum fuit, Rex ille, suum in mundum universum ex divina ordinatione imperium exercens, similem se suis commilitonibus faciet; scilicet non alium cibum, potum, vestitum quam sui etiam infimi socii habebit; immo et vilium ac durissimorum laborum cum iis erit particeps, quasi unus ex illis.

Atque haec tanta regis demissio et generositas in tanta dignitate, ita est amabilis, ut ad inflammandos animos non possit non esse efficacissima. Quid si addatur Regem tam liberalem erga suos commilitones futurum, ut victoriae gloriam et spolia inter eos dividat, partem cuique suis laboribus respondentem tribuens, sibimet id tantum servans quod proprio marte meruerit? Quae omnia a S. P. egregie ficta ideo sunt, ut comparationem cum Christo praeparent.

Tertium punctum, *considerare quid debeant respondere boni subditi Regi tam liberali ac tam humano; et per consequens, si quis non acceptaret petitionem talis Regis, quantopere dignus esset qui*

vituperaretur ab universo mundo, et perversus (ignavus et vecors) haberetur eques (s. miles)!

Iterum ubi S. P. comparationem cum Christo praeparat, non multus est circa expeditionis sublimitatem aut praeclara victorum praemia, sed in Regem ipsum tam liberalem et tam humanum oculos intendit, ut ad sequendum Christum ex amore ipsius bonitatis maxime se disponat exercitans; ideoque non dicit *fortes aut strenuos subditos, vel milites,* sed *bonos subditos,* tales scilicet qui liberalitati et humanitati humanitatem et liberalitatem rependere norint. Eamdem ob causam non *ignavum* eum vocat qui non acceptaret, quae ignavia jam inusta est per verba *vituperaretur ab universo mundo;* sed *perversum* equitem, scilicet sine corde vel perversi cordis, utpote qui tanta Regis demissione et bonitate nequaquam moveretur. Si autem, ut nonnulli gratuito supponunt, S. P. vulnerum aut mortis in proelio possibilitatem exclusisset, non solum ignavus ac perversus eques, sed et stultus ille esset dicendus, qui tali se expeditioni non adjungeret. Christus ipse et Martyres per mortem et vulnera vicerunt.

Postremo, aliquid respondendum iis qui priorem hanc Exercitii partem tam parvi ducunt, nostris praesertim temporibus, ut vixnon

eam sine incommodo omitti posse existiment. Sane pars ista illis quidem aetatibus, quibus militaris gloria vel sola existebat vel certe erat longe praecipua multo magis valebat quam nostris temporibus, in quibus plurima alia sunt quae ad humanam celebritatem viam sternant. Sed nec nostra aetate nullius pretii est fortitudinis militaris victoria; ac praeterea pars illa de rege temporali mire ad partem alteram disponit; quatenus scilicet ad spiritualem pugnam cum Christo fortiter suscipiendam, militarem generositatem et fortitudinem in iis praesertim qui insignes se exhibere volunt, excitat et inflammat. Atque re quidem vera, quid aliud sequela Regis aeterni est, nisi pugna perpetua? Nonne pugnarunt Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines? Nonne pugnat *contra se* quicumque vult salvus fieri? *Non coronatur, nisi legitime certaverit* (2 Tim. 2, 5). — Ad hoc bellum nos incitat loquens ad Ephesios Apostolus, et arma enumerat, quae ad victoriam requiruntur, cum ait : *Confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli. Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes, et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra*

spiritualia nequitiae, in caelestibus. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam justitiae. Et calceati pedes in praeparatione Evangelii pacis : in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Et galeam salutis assumite : et gladium spiritus (quod est verbum Dei) (c. 6).

Secunda Pars

hujus Exercitii consistit in applicando supradicto exemplo Regis temporalis ad Christum Dominum nostrum, secundum tria illa puncta.

Huic titulo optimam notam subjicit P. Roothaan : « Applicatio haec studiose fa-
» cienda per omnes partes suas, conferendo
» Regem cum Rege, expeditionem cum expe-
» ditione, hostes cum hostibus, labores cum
» laboribus, praelia cum praeliis, victoriam
» cum victoria, triumphum cum triumpho. Et
» vero hic omnia tanto majora, quanto divina
» humanis, aeterna temporalibus, praestant;
» discrimen scilicet infinitum. »

Primum punctum. — *Et quantum ad primum punctum, si talem vocationem Regis temporalis ad suos subditos consideramus (s. consideratione, at-*

tentione dignam existimamus), quanto magis res est digna consideratione, videre Christum Dominum nostrum, Regem aeternum, et coram illo universum mundum, quem ille (totum) et unumquemque (hominum) in particulari vocat, et dicit : Mea voluntas est subjicere totum mundum, et omnes inimicos, et sic intrare in gloriam Patris mei : proinde qui voluerit venire mecum, debet mecum laborare, ut sequens me in poena (in laboribus), etiam sequatur me in gloria.

Hoc punctum primo simul et secundo prioris partis respondet; nam addit S. P. tertium punctum, quod comparationem omnem excedit, et adeo sublime ac divinum est, ut soli Jesu Christi servitio convenire possit.

Cum contemplatio haec reliquarum hebdomadarum fundamentum sit, et omnia deinceps ab affectu exercitantis in Christum ducem et exemplar pendeant, necesse est ut cum primum apparet Christus, statim animum vehementer moveat. Hinc curat S. P. ut Rex temporalis, qui tamen non mediocriter admirationem movit, jam quasi penitus evanescat; ideoque modum loquendi adhibet ad excitandam admirationem valde idoneum : *si talem vocationem... quanto magis res est digna consideratione;* et ecce illico attonitos ante oculos quasi praesentem se sistit Deus Jesus,

Rex utique et ipse, sed *Rex regum et Dominus dominantium*, nec *temporalis*, sed *aeternus;* homo equidem, sed et Deus, Verbum Dei, *per quem omnia facta sunt, et sine ipso factum est nihil,* ac proinde noster et universorum Dominus. Coram ipso, Rex ille temporalis quid est, creatura coram Creatore, finitus coram Infinito, quasi non esset coram Eo cui datur dicere : *Ego sum qui sum?* Haec quidem ad concipiendam et cum infinita reverentia adorandam Christi Domini Majestatem. Sed non magnus tantum est Deus et Rex aeternus, sed est et Christus, id est unctus a Patre in Regem :

At cur Filius Dei de caelis descendit, in carne visibiliter apparens? Primo quidem ut suo nos sanguine a peccatis ablueret, ab infernoque liberaret, sed et ut viam qua in caelum iremus doctrina et exemplo nobis ostenderet. Quasi enim oves quae perierant omnes errabamus; et ecce venit Pastor bonus ut nos ad vera, et caelestia pascua ducat : Ipsum audiamus clamantem : *Ego sum Pastor bonus; — qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae; Ego sum via,* quae sola duco ad caelum; ceterae enim viae non sunt nisi ad perditionem; *Ego sum veritas,* omnis quippe doctrina quae mea non est, falsitas

est, error est, mendacium est. *Ego sum vita,* extra quam omnia mors sunt, quoque magis videntur delectabilia, eo magis ad mortem aeternam ducunt.

Christo, qui Deus est, quis non credat? Christum, qui Servator est amantissimus, quis non sequatur? Ipsi namque omnia sunt notissima, ipse nihil aliud aut intendit aut intendere potest, nisi verum atque aeternum bonum nostrum. Non enim propter se, sed propter nos, nempe ex infinito erga nos amore *exinanivit semetipsum, formam servi accipiens; humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Unde igitur fit, ut non omnes audiant et sequantur Christum? Ex eo scilicet quod incredibilem naturae nostrae, non originalis tantum labes, sed et actualia peccata caecitatem obduxerint; ex qua si perturbatae et obscuratae rationi, si sensuum testimonio credatur, ea quae bona sunt, mala, quae mala sunt, bona existimanda videbuntur. Sic mundus divitias, honores, sensuum delectationes ut vera bona existimat et ardenter prosequitur; Christus e contra paupertatem suadet, opprobria exoptanda praedicat et clamat : *Qui non bajulat crucem suam, non est me dignus* (Is. 19, 17).

Aut igitur errat Christus, aut mundus. Ast

inter eos ipsos qui Christo credere se profitentur, quam pauci ipsum practice audiunt et sequuntur! Unde igitur salus? ex fide in Christum. Et hic effatum Apostoli applicandum est, *sine fide impossibile est placere Deo* (Herr. 11, 6). Sed et fidei addenda magnanimitas est, sine qua impossibilis fit victoria. *Haec est victoria quae vincit mundum, fides vestra* (1 Io. 5, 4).

Exercitanti igitur, et consideratione et oratione multum insistendum est, ut sub lumine et unctione Spiritus Sancti, Christum apprehendat fide vividissima, qua et infallibili Deo credat, et amantissimo Servatori confidat; quo duplici sensu intimis in praecordiis fundamentum jaciat, cui et Christi Domini cognitio intima, et fortis amor, ad arduam imitationem tam necessarius, innitatur.

Sublime spectaculum profecto est, videre hinc quidem Christum Dominum nostrum, Regem aeternum, illinc vero coram eo universum mundum, regnum scilicet ejus. In hoc autem regno nullus est quem Rex aeternus non noverit, nullus quem salvum non velit.

Quare imprimis fit ut omnes omnino et unumquemque *in particulari* alloquatur et vocet ad bellum quod parat, cui et viri et fe-

minae, et juvenes et senes sunt idonei; atque proinde me quoque ipsum Christus intuetur et vocat. Concio vero Regis aeterni brevissime res enuntiat. Prolixior nimirum oratio nec tantum Regem tamque amicum Deum decet, nec propter tantam tantae rei evidentiam necessaria est : quo brevior, eo sublimior est et divinior. Pluribus persuadeant homines; ad parendum vero loquenti Deo, verbum sufficit.

« *Mea voluntas est subjicere totum mundum, et* » *omnes inimicos; et sic intrare in gloriam Patris* » *mei : proinde qui voluerit venire mecum, debet* » *mecum laborare, ut sequens me in poena, etiam* » *sequatur me in gloria.* »

Immensam, giganteam suam expeditionem, *subjicere totum mundum,* simplicissime, ut Deum decet omnipotentem exprimit. Doctrina scilicet sua ac miraculis multos subjiciet, sed bellum esse sustinendum ipse innuit dicens : *et omnes inimicos.* Quid plura? Ipse primus occumbet, sed ad resurrectionem et gloriam; post eum vero pressuram habebimus in hoc mundo, quinimmo et plurimi Martyres occumbent, sed pariter ad resurrectionem et gloriam cum Duce ac Domino.

Praeibit igitur Christus, dux enim est : *Exultabit ut gigas ad currendam viam suam,* e

coelo in uterum Virginis, ex utero in stabulum, e stabulo ad crucem, a cruce in caelum, *et sic intrabit in gloriam Patris sui;* quibus verbis quanta indicentur, *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.* Porro et me ad hanc gloriam vocat, modo in hac vita per eam qua ivit viam et ipse incedam, viam scilicet crucis.

Quamvis autem Rex aeternus sit et universorum Dominus, neminem cogit; in hoc enim et Dei et nostra est gloria, ut sponte ac libere Christum sequamur : *Proinde qui voluerit venire mecum.* Immo nec directe invitat, sed proponit, paucis exceptis quos ad sublimiora destinat dicens : *Veni, sequere me,* et : *Venite, faciam vos fieri piscatores hominum* (MAR. 1, 17).

Futurae gloriae conditiones : *debet mecum laborare, ut sequens me in poena.* Non sicut Rex temporalis enumerat labores et poenas : Ad quid enim haec enumeratio in ore Salvatoris Dei, qui non pro se sed pro me, non eadem ac ego, ut Rex ille temporalis, patietur, sed infinities majora. Nonne sufficit vox *mecum?*

Ut sequens in poena. Promittit quidem suis sequacibus gloriam suae similem; nimirum quemadmodum ipse, subjecto mundo, intrabit in gloriam Patris, sic et qui cum secutus fuerit atque cum eo mundum vicerit, intrabit

in gloriam Jesu et Patris ejus : haec quidem in altera, in aeterna vita; in praesenti vero, exanclandi sunt labores qui poenam annexam habent; quisque enim contra corruptam naturam et contra mundum, scilicet contra triplicem concupiscentiam, oculorum, carnis et honorum pugnare debet; qui vero generosiores et insigniores esse voluerint, non sibi tantum, sed et proximis, sicut Salvator Jesus, prospicient : immo eousque certamen veniet, ut vitam ipsam in bello profundere pro Deo non vereantur. At si poena tantis laboribus adhaeret, nonne dulcescit, nonne fit amabilis, cum Christus ipse Dei Filius amore nostri devinctus praeit in via, telis pro nobis objiciens sese, omnem jucunditatem abjiciens, durissima quaecumque sibi vindicans, et post atrocissimas injurias, atque tormenta expirans in cruce? Quae exprimit S. P. his verbis : *ut sequens me in poena*. Poena vero illa quae sit in specie nondum definit, quod exercitans forte non posset portare modo; sed in genere solum ad amorem, ad magnum animum, et ad magnam aestimationem, quibus rebus facilia fient omnia, excitat atque incendit. Sic ipse Christus Jacobum et Joannem allexit, cum pro primis quas petebant sedibus, calicem passionis obtulit. De qua re pulcherrime ait Augusti-

nus : « *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus* » *sum, et baptismo, quo ego baptizor,* baptizari » (MATT. 20, 22)? Perpendis quo modo statim » ab hac opinione eos removit, contraria eis » disserens? Nam vos, inquit, de honoribus et » de coronis mecum agitis : ego vero de lucta- » mine atque de sudore dissero. Non prae- » miorum hoc tempus est, nec illa gloria mea » modo apparebit : sed caedis ac periculorum » tempus praesens est. Perspice autem quali- » ter ipso interrogationis modo et hortatur et » allicit. Non enim dixit : Potestisne caedem « subire, pòtestisne vestrum effundere sangui- » nem? sed quonam pacto *potestis bibere cali-* » *cem?* Deinde alliciens dixit : *Quem ego bibi-* » *turus sum :* ut ipsa cum eo communicatione » laborum promptiores redderentur. » Eodem ipso modo duobus verbis : *ut sequens me in poena,* procedit Ignatius.

Secundum punctum, *considerare quod omnes qui habuerint judicium et rationem (sanam), offerent se totos ad laborem.*

De iis agitur in hoc puncto qui non tam affectu et generositate in Christum moventur, quam propriae salutis necessitate; quare S. P. non dicit : qui habuerint amorem Christi, sed *judicium et rationem,* ut sibimetipsis consulant. Omnes enim, nisi amentes sint, volunt

salvare in aeternum animam suam, eamque ab inferno praeservare; jam vero non alia via ad caelum pertingent quam ea quam solam esse affirmat Christus, qui via est, et veritas infallibilis et vita. Quam igitur esset contra judicium et rationem caelo valedicere et aeternis inferni suppliciis se addicere, tam esset contra judicium et rationem non obtemperare ei qui Deus infallibilis est, et ad hoc unum venit ut omnes salvos faceret. Porro ad salutem requiritur labor, et labori insita poena. Labor autem ille non in alia re consistit, nisi ut quisque impetus hostium saluti ejus insidiantium repellat; nimirum ut passionum suarum assultibus resistat, sicque abstinens a peccato mortali, et Dei legi fidelis permanens salvet animam suam. Atque ad hunc laborem et poenam non ex parte, sed totum, homo se offerat necesse est. Non excluditur certe in hac classe, substantialis amor ille Christi necessarius ut quis in gratia vivat ac permaneat; nam et hunc amorem judicium et ratio requirunt; sed magnus ille animus adhuc omittitur qui ad insignia, ultra debitum, pro Christo praestanda impellat.

Tertium punctum. — *Ii qui magis affici (majore affectu esse) volent (erga Christum Regem) et insignes se exhibere in omni servitio sui Regis*

aeterni ac Domini universalis non solum offerent se totos ad laborem, sed etiam agendo contra suam propriam sensualitatem, et contra suum amorem carnalem et mundanum, oblationes facient majoris aestimationis, et majoris momenti, dicentes.

Res hic, non quidem sine judicio et ratione, sed maxime ex corde et appretiationis amore agitur. Hinc apparet cur in primo puncto movenda esse omnia dixerimus, ut magnum et intensum in Christum tam nostri amantem amorem in nobis excitaremus. Eximio enim et inflammato illo animo deficiente, quae in hoc puncto proponuntur, plane fiunt impossibilia; si autem amor ille adfuerit, nihil hominem, a quocumque labore deterrere poterit. « Amor, ait Thom. Kemp., volat, currit » et laetatur : liber est, et non tenetur. Dat » omnia pro omnibus, et habet omnia in om- » nibus, quia in uno summo super omnia » bono quiescit, ex quo omne bonum fluit et » procedit. Non respicit ad dona, sed ad do- » nantem se convertit super omnia bona. » Amor modum saepe nescit, sed super om- » nem modum fervescit. Amor onus non sen- » tit, labores non reputat : plus affectat quam » valet : de impossibilitate non causatur, » quia sibi cuncta posse et licere arbitratur. » Valet igitur ad omnia, et multa implet,

» effectui mancipat, ubi non amans deficit et » jacet... Qui non est paratus omnia pati, et » ad voluntatem stare dilecti, non est dignus » amator appellari. Oportet amantem, omnia » dura et amara propter dilectum amplecti; » nec ob contraria ab eo deflecti. » Quae omnia simplicissimis, more S. P. N., verbis, sed suavitate et unctione divinae charitatis refertis, breviter resumuntur : Qui magis affici (propter tot incentiva amoris) *volent erga Christum.*

Ad scopum quippe quem intendit S. P., magnus etiam et tener amor non sufficit; fortis ille sit oportet et insignis, ut *insignis* non in uno tantum aut pluribus, sed *in omni servitio* sui Regis aeterni ac Domini universalis esse velit exercitans et possit.

Hinc notemus quomodo denominationibus ipsis argumenta tegat S. P. Unde enim *affici* debemus? ex eo quod sit ille erga quem afficimur *Christus,* id est unctus a Deo Patre ad nos deputatus, et *Rex* noster, qui nos proprio suo sanguine redemptos, ad bella contra hostes nostros, ad victoriam, ad caelum ducat. Quare autem in servitio ejus *insignes* esse ambire debemus? Quia nimirum, non homo tantum est, sed et Deus, indeque *Rex aeternus et Dominus universalis,* idque essentialiter et

absolute, *cui servire regnare est;* cumque sit tantus, tantopere me dilexit ut exinaniverit semetipsum pro me.

Non solum offerent se totos ad laborem, ad instar eorum qui solo judicio ac ratione moventur; sed *aspicientes in Auctorem et* Consummatorem fidei nostrae, in benignissimum et amantissimum Jesum, se intra labores sibi ad propriam salutem necessarios continere non poterunt, sed erubescentes inveniri se in meliori conditione quam fuit ipse Jesus *pauper* et in laboribus a juventute sua, donec moreretur in cruce, cum eo, quantum possunt, amore luctantes, facient oblationes majoris aestimationis, et majoris ad gloriam Dei propriamque suam perfectionem *momenti.*

In quo autem oblatio illa consistet, aut quomodo insignius sub vexillo Regis aeterni militabunt? Nimirum AGENDO CONTRA *suam propriam sensualitatem et contra suum amorem carnalem et mundanum. Agere contra,* non est tantum impugnanti hosti resistere, ad quod ii omnes qui habent judicium tenentur, sed hostem, etiam non impugnantem, aggredi et prosternere; ita ut, non tantum in prohibitis, sed et in licitis adversus naturae corruptae concupiscentias e diametro pro amore et ad exemplum Christi in omnibus procedatur.

Hoc est illud quod Ignatius et Xaverius in ore semper habebant et indesinenter ac heroice in toto vitae suae contextu expressere *Vince teipsum.*

Quid jam sibi velint, et in quo inter se differant sensualitas, amor carnalis et amor mundanus, contra quae verus ac generosus Christi miles agere debet, facile ex ipsa S. Ignatii mente explicari posse videtur. Ac primo sensualitas quidem difficultatem non parit, cum ad omnes sensuum et carnis delectationes applicetur; in ceteris vero duobus difficultas sita est; nam amor carnalis sicut et mundanus primo aspectu videri possent sensualitatis synonima, quibus remedium commune esset applicandum, mortificatio. Ast non solet S. P. ad unam rem designandam tria nomina adhibere. Si igitur res intimius perspicias, invenies tribus nominibus hic tria diversa omnino significari : ac praeterea haec distinctio, si scopum quem S. Ignatius intendit consideras, maximi esse momenti apparebit.

Carnalem igitur amorem illum dicit S. P. de quo agit in regula octava Summarii, scilicet amorem naturalem in parentes, in propinquos, immo et in quoscumque : « et ita, ait, » curandum ei est, ut omnem CARNIS affectum

» erga sanguine junctos exuat... ut qui... » Christo Domino soli vivit, eumque loco » parentum, fratrum, et rerum omnium ha- » bet. » Sic enim remotis obstaculis ad amplectenda evangelica consilia jam a longe disponit.

Quid autem amor mundanus? Amor nempe ille est, quem impugnat S. P. in undecima Summarii regula, in qua totum nostrum Institutum velut in cardine vertitur, quaeque tota in mundani honoris contemptu et amore opprobriorum Christi inculcandis versatur.

In illa quippe regula definit Ignatius ipsemet quid per *mundanum amorem* velit : *quae mundus amat et amplectitur,* nec ei aliud attribuit quam honores, famam, magni nominis existimationem in terra.

Tria igitur illa sunt, eaque inter se omnino distincta, contra quae agere nos vult S. P. : sensuum voluptates, naturalis amor propinquorum, et mundanus honor. Substituenda igitur erunt ab exercitante sensualitati mortificatio, amori propinquorum, eorum derelictio aut saltem mere spiritualis amor, et honori mundano amor opprobriorum atque contemptuum.

Oblatio, quae locum tenet soliti colloquii sic sonat : *O aeterne Domine rerum omnium, ego*

facio meam oblationem, cum tuo favore et auxilio, coram infinita Bonitate tua, et in conspectu gloriosae Matris tuae, et omnium Sanctorum et Sanctarum Curiae caelestis, (attestans) quod ego volo et desidero, et mea (haec) est determinatio deliberata, dummodo sit majus servitium tuum, et (major) laus tua, imitari te in ferendis omnibus injuriis et omni vituperio, et omni paupertate, tam actuali, quam spirituali, si Majestas tua Sanctissima voluerit me eligere et recipere ad talem vitam et statum.

Oblatio illa tanti momenti est, ut verbis hoc vix dici possit : non enim simplex hic habetur oratio, aut sanctus aliquis affectus, aut pium propositum, sed plena oblatio sui, qua tota anima transit in Christum, ut soli Christo vivat in posterum, eique ex amore se assimilare procuret. Atque iterum vel ex sola hac oblatione luculentissime patet, non omnibus, sed iis tantum a quibus magna expectari possint, sua integra Exercitia S. Ignatium destinasse. Nisi enim haec oblatio serio, per integram sui abnegationem et traditionem facta fuerit, poterunt quidem in secunda hebdomada, et boni affectus et bona proposita elici, sed nequaquam magnifica illa obtinebitur in Christum transformatio, quam S. Fundator prosequitur. Requiritur igitur hic

magnanimitas; neque haec ipsa tamen sufficit, nisi supernaturalis Spiritus Sancti gratia accedat. Sed volentibus et orantibus, in re Deo tam honorifica, Spiritus ille certe non deerit.

Quanti hanc S. P. oblationem faciat, appareret ex sublimi quo eam decorat apparatu. Etenim ad ipsum Jesum, quem ut ducem amantissimum simul et exemplar eligit, se convertit exercitans. *O aeterne Domine rerum omnium :* quibus verbis, ineffabilem illam, quam erga divinam Majestatem Ignatius habebat reverentiam, redolentibus, agnoscit exercitans et divinitatem et supremum atque absolutum Jesu dominium, ita ut nil ei offerri possit quod non jam jure divino possideat; *omnia tua sunt.* — *Ego* creatura tua, qui ex me nihil, nisi peccator sum, *facio meam oblationem,* si quidem dignaris a mea libertate accipere quod tuum est; *cum tuo favore,* nam quod ita me offerre possim, mira tua dignatio et gratia est; *et auxilio,* nam sine te nec facere, nec tenere meam oblationem valerem. — Et ecce antequam perfectae donationis materia exprimatur, percellens aperti caeli spectaculum ob oculos exercentis ponitur; ac primo quidem apparet ipsi Deus : *Coram infinita Bonitate tua;* Bonitas nempe infinita vocatur Jesus Deus,

tum quia eximia bonitas est talem oblationem et inspirasse et suscipere, tum ut exercitans, Deo soli, non sibi, gratiam illam attribuat, atque soli divinae Bonitati de executione confidat. Apparent et testes incolae caeli : *Et in conspectu gloriosae Matris tuae :* porro quid magis vultu virgineo divinae Matris approbantis et auxilium promittentis ad generositatem alliciat?

Et ecce cum caeli Regina incitans et gratulabunda, propter actus sublimitatem, tota Caelitum curia refulgens ut testis assistit : *Et omnium Sanctorum et Sanctarum curiae caelestis. (Attestans) quod ego volo et desidero, et mea (haec) est determinatio deliberata.* Quatuor verba illa : *volo, desidero, determinatio, deliberata* valde attendenda sunt, nec sine maximi momenti intentione illis insistit S. P., eaque presse accumulat. Non enim hic, ut jam diximus, de aliquo ex iis propositis quae passim inter meditandum fiunt, agitur, aut de ordinario bonae voluntatis affectu, sed de capitali, plena et practica ad Christum conversione, eaque firma et stabili, per quam mundana omnia pedibus conculcet exercitans, ut Christum in omnibus quae naturae maxime repugnant sequatur. Ad quam requiritur non voluntas simpliciter, *volo,* sed, firmum illud ac stabile

quod appellatur *determinatio;* quinimmo supponit rem de qua agitur in omnem partem versatam, examinatam, perpensam intellectu fuisse; *deliberatam* scilicet determinationem, quae jam in quaestionem amplius non revocetur. Concurrat tandem cum intellectu et voluntate, affectus : *desidero,* ex amore scilicet Christi et veritatis. — Hic iterum apparet vir ille rationis, Ignatius, qui affectus tunc tantum magnifaciebat, cum perfectae convictioni rationis et firmitati voluntatis inniterentur : Hinc frequens ei vox : *discurrere intellectu,* et *consequenter* (tantum) movere affectus in voluntate. Et merito quidem, nam nisi plenum lumen praecesserit in intellectu, deerit voluntatis firmitas; affectus vero ipsi, utpote sine substantia, facile evanescent, *vapor* nempe *ad modicum parens.* Quamobrem si ad seriam illam ac deliberatam determinationem adduci non possit exercitans, judicet eum director Exercitiis integre peragendis imparem et non idoneum. Hic nimirum ad ipsam perfectionis ignatianae medullam pertingimus, ad intimam videlicet mentis persuasionem, ad firmam Christi sequelae aestimationem, atque ad fundatum in hac aestimatione amorem opprobriorum Christi, quem ad finem usque Exercitiorum S. P. prosequetur. Nam si sco-

pus Exercitiorum est ut homo se vincat, jam liquido apparet qua in re maxime se vincat oporteat, nempe in mundani honoris prosecutione. Ibi enim thesaurus absconditus, ibi pretiosa illa margarita, quam qui invenit homo, vendit omnia quae habet, ut emat eam. Hinc, cum de sociis Christo Jesu praeparandis et duci suo assimilandis, cogitaret Ignatius, ut lapidem totius sui Instituti angularem, posuit in regula undecima Summarii, humilitatem ex amore, seu potius amorem opprobriorum propter Christum opprobriis saturatum.

Dummodo sit majus servitium tuum, et (major) laus tua; ergo iterum non fabricatur S. P. religiosas vocationes, sed, ubi existunt, ad eas mire disponit; generositatem autem non mediocrem, sed absolutam requirit, ita ut ille qui integra facit Exercitia, etiamsi reipsa non sit ad Christi opprobria in se suscipienda vocatus, ad ea tamen paratus inveniatur, modo e majore Dei servitio id sit ac gloria. Secus enim, magna, qualia illa vult Ignatius, ab eo expectari minime possent.

Oblationis jam essentiam exprimit S. P. : *Imitari te in ferendis omnibus injuriis, et omni vituperio, et omni paupertate, tam actuali, quam spirituali.* In his habes totum Ignatium, qui ex quo cepit sub vexillo Christi ex amore sera-

phico militare, et ipse dicere potuisset : *Non judicavi me aliquid scire nisi Jesum, et hunc opprobriis saturatum :* neque eum ut genuinum suum filium ac Jesu socium agnoscet, qui aut opprobria pro amore Christi non amaverit, aut saltem amare non serio contenderit.

Notemus verba : *omnibus, omni, omni.* Ubi enim quis mysterium crucis intelligit et amat, sicut nullus honor est quem in se non detestetur, ita nulla est injuria, quam non libenter ferat, nullum vituperium, quod non studiose amplectatur. Hic nempe qui amat genus, amat et species. Tota igitur res est in amore opprobriorum, reponenda.

In omni paupertate tam actuali, quam spirituali. Quamvis paupertas maximi sit momenti in divino servitio, et unus sit ex praecipuis humilitatis fontibus, amorem tamen opprobriorum S. P. primo ac veluti regio loco ponit, secundario autem, velut ancillam humilitatis, sedere vult paupertatem.

Evangelica consilia nondum quidem nominat, nec dicit exercitanti : *vade, vende quae habes, et da pauperibus,* quoniam ipsemet exercitans id, afflante Spiritu Sancto, inveniet; de sola, tam actuali quam spirituali paupertate mentionem facit, quae hominem amore Jesu captum non adeo terrere poterit.

Quid vero paupertas actualis sit, ex spirituali satis intelligitur. Haec enim in eo consistit, ut cor ita divitiis ceterisque terrestribus nullo modo adhaereat, ut relate ad divitias aut paupertatem sit omnino indifferens, ac proinde sit paratum ad abjiciendas divitias, si melius id fuerit; actualis autem paupertas actu omnem quamcumque possessionem abjicit, atque ab omni rei cujuscumque dominio ac libera fruitione recedit.

Tam actuali quam spirituali distinctionem simul sonant et cumulationem, hoc sensu, quod qui vocatur ad spiritualem paupertatem tantum, ita amare et imitari Jesum debeat, ut, si ita placeret Deo, et actualem paupertatem libenter amplecteretur; qui vero actu, v. g. voto ac renunciatione paupertatem Christi vult imitari, ita sit dispositus ut non eam tantum amet interius, quam vocant theologi essentiam voti paupertatis, sed et realem rerum penuriam et vilitatem vero affectu diligat. Atque hoc sensu sociis suis ait Ignatius : *Diligant omnes* (non privationem dominii aut usus liberi, sed ipsam) *paupertatem ut matrem,.... et ejus effectus aliquos experiantur... paratique sint ad mendicandum ostiatim... Victus, vestitus et lecti ratio erunt ut pauperibus accommodata;* quae omnia, non solam substantiam voti

sub peccato praescriptam, sed realem ipsam et actualem paupertatem, de qua hic agit S. Fundator, respiciunt. Realis autem paupertas, ubi amatur, amorem opprobriorum gignit, ut videbitur in med. de 2 Vexillis.

Dein tandem nominans iterum Deum cum summa reverentia, addit S. P. : *Si Majestas tua sanctissima voluerit me eligere ac recipere ad talem vitam et statum.*

Voluerit me eligere : ecce iterum patet S. Ignatium a vocationibus intrudendis longissime abesse; vocatio namque a divina voluntate et electione procedit. Quis igitur labor S. Fundatoris? Ita *praeparare* ac *disponere* hominem, ut, si eum Sanctissima Majestas dignata fuerit ad paupertatem vocare, is promptum ac diligentem se exhibeat ad explendam ejus sanctissimam voluntatem. Hanc, non aliam, gratiam in 2° praeambulo petiit exercitans.

Recipere denotat voluntatem divinae electioni respondendi; denotat praeterea in tali vocatione donum Dei supra oblationem hominis infinities eminere.

Talem vitam et statum : vita factum dicit et modum vivendi ad mortem usque; *status* vero *realis paupertatis* perdurationem statutam, non amplius mutandam.

Hoc exercitium (de Regno Christi) fiet bis in die,

scilicet, mane cum (quis) surrexerit, et una hora ante prandium vel caenam.

Haec enim dies quasi intermedia ante secundam hebdomadam, solita ceterarum hebdomadum non habet exercitia, sed duo tantum quae de die fiunt. Media nocte nihil fit. Materia autem de Regno Christi, sicut primum Exercitiorum fundamentum, per totam diem, juxta sextam additionem, mente, voluntate et affectu pervolvetur indesinenter ab exercitante, donec ad seriam et irrevocabilem sui oblationem perveniat.

Quae secundae hebdomadae proprie dictae praemisit S. P., nota aliqua concludit quae ad lectiones pertinet. De lectionibus ideo hucusque non egit, quia ut proderunt in tribus reliquis hebdomadibus, ita plurimum in prima animum a pudore et dolore distraxissent; quod sextae additioni fuisset omnino contrarium. In secunda autem hebdomada, magnum ex iis fructum colligere, sine distractionis periculo, poterit exercitans, si in iis lectionibus se contineat, quas solas permittit Ignatius, scilicet si nihil legerit praeter Evangelia, librum de Imitatione, et vitas Sanctorum, idque nec frequentius nec diutius : de hac enim triplici lectione, dicit : *aliquid de...* et *subinde*. Secus enim, etiam libris aliis quantumvis

piis, mens ab unitate meditationum per curiositatem et distractionem recederet. Sic enim ait : *Pro secunda hebdomada, et ita deinceps, valde prodest legere subinde (aliquid) ex libris de Imitatione Christi, vel Evangeliorum et vitarum Sanctorum*. De lectione Imit. bene ait P. Roothaan : « Haec enim planior, facilior, neque » talis, quae mentem avertere a praecipuo » contemplationum argumento possit, sed po- » tius ad practicas conclusiones, inter medi- » tandum conceptas magis confirmandas ap- » tissima est. »

Methodus

Ordinariae Comtemplationis

Paucae deinceps in decursu Exercitiorum proprie dictae meditationes proponentur : Actiones enim, seu Mysteria vitae, mortis et resurrectionis Christi Domini spectandae oculis animae offerentur, ac proinde, quamvis in iis nequaquam facultatum memoriae, intellectus et voluntatis exercitium, et, per consequens, meditatio, excludatur, tamen propter materiam, quae circa facta, non circa solas veritates, versatur, contemplationis nomen accipiunt. Dixi : *ordinariae contemplationis;*

nam extraordinariae contemplationi regulas assignare, non hominis est, sed Spiritus Sancti, qui dux in hac via Ipsemet et lumen est; unum scilicet rectoribus animarum hic officium est, dignoscere scilicet bonum a malo spiritu; quo in examine saepe magna latet difficultas. Satanas enim avet transfigurare se in angelum lucis, ut incautos decipiat, atque elatos superbia praecipitet; et quemadmodum damnosum nec sine culpa est, animas quas vocat S. Spiritus ad superiorem orandi modum ab hac via avocare, ita imprudens et valde periculosum est eos, antequam vere probati fuerint spiritus, in modum illum, sive consilio, sive etiam approbatione inducere. Quod si duris etiam quandoque experimentis humiliter accipiendis et ferendis sint impares, signum hoc tibi sit satanicae transfigurationis.

In ordinaria contemplatione, quam et ipsi indocti, modo purae mentis sint, magno cum fructu peragere possunt, fiat solita oratio praeparatoria; dein, non jam duo, ut in prima hebdomada, sed tria fiant praeambula; de quibus, utpote momenti non parvi, jam dicendum.

Primum praeambulum, ut in contemplationibus de Incarnatione et de Nativitate Domini videre est, summarium Mysterii contemplandi historicum est, seu factorum quorum

series Mysterium illud constituit, recordatio. Ad memoriam praeambulum illud refertur et materiam praebet, in qua ceterae facultates se exerceant. De recordatione illa et declaratione in secunda annotatione agit S. P. Quae quidem declaratio, ubi fuerit, sicut habetur in fine libelli, in puncta tripartita, tamen vix non semper erit a directore plus minusve, pro capacitate subjecti, protrahenda, ita ut via ad contemplandas partes Mysterii, non quidem cum exercitante percurratur, iterum deinde ab eo repetenda, sed sufficienter aperiatur et indicetur.

Secundum praeambulum est compositio loci, scilicet videre visu imaginationis, quasi, relicta patria, ibidem actu praesens essem, locum cum suis omnibus adjunctis, in quo operatum est Mysterium. Non personae in hoc praeambulo attenduntur, in ipsa potius actione appariturae. Hujus praeambuli scopus est, non tantum ut evagationes circa res sibi notas imaginatio non procreet, sed etiam ceteras animae facultates in suis operationibus non parum adjuvet. Sic enim Mysteria non ut olim peracta, sed ut actu praesentia videbuntur, et quasi ante nos stans Jesus adhuc mortalis apparebit, sicut coaevis suis apparuit. Nimirum ita nos S. P. quasi participes privi-

legii eorum efficit, qui cum Christo, dum in terris ageret, ambulaverunt.

Tertium praeambulum, quod semper idem est in omnium vitae Christi Mysteriorum contemplationibus, in petenda gratia consistit, quae Mysteriis propria est.

Gratia haec tanta est, ut gratias omnes quae in reliquis Exercitiis exoptari possunt abunde contineat. Ea enim est de qua Christus : *Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant* (Io. 10, 10). Neque ad aliud reliquae hebdomadae contendunt, quam ut exercitans Christo ita perfecte, quantum potest, ex amore assimiletur, ut Dei ipsius in se referat imaginem, et cum eo, quod fit in ultima contemplatione, intime uniatur.

Tertium, petere id quod volo; supponitur enim hic in homine, idque ut conditio sine qua non, ardens et crescens in horas desiderium quod ex zelo divinae gloriae potius quam ex proprii boni intuitu procedat. Pura enim et crescentia illa desideria divinae Bonitati vim faciunt, cum praesertim *voluntas Dei sit sanctificatio nostra.*

Porro triplex in hoc praeambulo petitur gratia : cognitionis, amoris et imitationis. Prima ad secundam ducit, secunda ad tertiam, in qua perfectio consistit; quam ad perfectionem non nisi per duos priores gradus ascenditur.

1. *Erit hic, petere cognitionem intimam Domini, qui pro me factus est homo.* Quanti illa cognitio pretii sit, ex ipsis Jesu verbis percipe et meditare. Sic enim dixit post ultimam caenam, conversus ad Patrem : *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* Quaenam autem est illa cognitio, quae vitam aeternam parit, immo quae ipsa et sola vita aeterna est? Certe non illa quae historica dicitur, quaeque in plurimis cum impietate ac perversis moribus sociatur; nec illa ipsa quae in theologis ac doctoribus invenitur, utpote quae mere scientifica et speculativa est atque ad sanctitatem infecunda, immo et quandoque superbiae plena; nec tandem illa quae altos tantum de Christi divinitate conceptus elicit, quaeque admirationem provocat, non imitationem. In quo ergo ponenda? Eam uno verbo definit S. P., dum vocat eam *intimam;* non intimam praecise quoad objectum, ita ut nil sit in objecto quod non intime perspiciatur; haec enim humana iterum esset scientia ad supernaturales effectus non sufficiens, sed intima quoad *subjectum* ipsum, scilicet quae intime ab anima per lumen et unctionem Spiritus Sancti accipitur. Solus enim Spiritus Patris et Filii interius docere potest, qui solus interiora

animae ingreditur, juxta reg. 2^m pro 2^a hebd. de disc. spir., in qua legimus : *Proprium est Creatoris (animam) intrare, egredi; faciendo motionem in illa, trahendo illam totam in amorem suae divinae Majestatis.* Multum sane juvat cognitio divinitatis in Christo ad magnam erga Eum concipiendam reverentiam, multoque magis ad infinitum Christi in nos amorem sentiendum, *qui cum in forma Dei esset, adeo me amavit, ut exinaniverit semetipsum, et formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus sit, et habitu inventus ut homo.* Quae omnia verbo a S. P. sic exprimuntur : *qui pro me factus est homo;* pro *me,* inquit, non pro hominibus, ut tantum amorem mihi applicem, ad exemplum Pauli dicentis : *Dilexit me et tradidit semetipsum pro me.* Sed cognitio illa super omnia circa Christum Redemptorem et Reparatorem versetur oportet; in hac enim forma praesertim nobis offertur, ut amabilis et imitabilis : Factus scilicet homo similis nobis, *humiliavit semetipsum* (humano modo propter nos, et ut nos ad sui amorem atque imitationem excitaret) *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*

2. Amor Christi : *ut magis ipsum amem.* Etenim ex praedicta cognitione, si a Spiritu Sancto cum cooperatione hominis animae in-

dita fuerit, magnus in Christum amor sponte et necessario excitabitur. Audi Bernardum : « Quis illud Cor tam vulneratum non diligat? » Quis tam amans non redamet? Quis tam » castum non amplectatur? Nos igitur adhuc in » corpore manentes, quantum possumus ame- » mus, redamemus, amplectamur Vulneratum » nostrum, cujus impii agricolae foderunt ma- » nus et pedes, latus et cor. » Quam autem amor ille, donum illud Dei, sit ardenter quaerendum et petendum, patet ex his quae addit. « Stemusque, ut cor nostrum, durum adhuc et impoenitens, amoris sui vinculo constringere, et jaculo vulnerare dignetur. » (Div. off.).

Quod igitur ex hominibus tam multi, vel Christum impugnent, vel frigide se erga eum habeant, id ex eo solum est, quod eum ignorant pro nobis incarnatum, pro nobis natum, pro nobis crucifixum, pro nobis in SS. amoris Sacramento latentem. Quam aliter se haberent, si ad illam cognitionem a Spiritu Sancto obtinendam per meditationem, orationem et spiritualia exercitia se praepararent ac disponerent! *Desolatione desolata est terra, quia nullus est qui recogitet corde.*

3. Imitatio. *Eumque (magis) sequar.* Sicut nempe castissimus Christi amor ex intima ejus cognitione necessario procedit, ita ex amore

imitatio. *Amor,* ait proverbium, *aut similes invenit, aut facit.* Ubi imitatio non est, nec verus, nec magnus praesertim amor est. Si igitur ex *intima* cognitione Christum amo, qui *pro me,* cum Deus esset, *factus est homo,* quomodo sustinere potero, ut melioris, quam ipse, sim conditionis? Quomodo, ubi Deus meus pro me homo factus nascitur in summa egestate, patiar affluere me divitiis? Quomodo, ubi Deus Servator meus usque ad mortem, mortem autem crucis pro me humiliat sese, patiar vivere me in honoribus et deliciis? *Per salutem tuam et salutem animae meae,* o Domine mi Jesu, *non faciam hanc rem* (2 Reg. 11, 11).

Subnotat S. P. : *Convenit hic notare, quod eadem haec oratio praeparatoria, sine mutatione, ut dicta est in principio, et eadem tria praeambula facienda sint in hac hebdomada et in ceteris sequentibus, mutando formam (praeambulorum) juxta subjectam materiam.* Notatio haec respicit varietatem materiae in duobus prioribus praeambulis, in tertio vero petendam gratiam quae alia in aliis hebdomadibus est.

De ipsa contemplatione. Ne quis in libello S. Patris paratarum meditationum seu contemplationum seriem, quales in libris meditationum vulgo inveniuntur, inventurum se existimet. Paucis enim exceptis meditationi-

bus, quae vel specialis omnino generis sunt, vel quae initio hebdomadarum ad exemplum paulo fusius et cum suis omnibus partibus exponuntur, praeparatae ad contemplandum materiae reperies nihil praeter summaria historica primi praeambuli, eaque in fine libelli in tria vel duo puncta divisa, additis fragmentis verborum Evangelii, quae ad mysterium contemplandum pertinent. Valde exilia quidem illa videntur, sed exilis certe contemplatio non erit, atque eximios fructus afferet, si methodus a S. P. proposita, in qua vis et essentia Exercitiorum ferme tota consistit, juxta mentem Sancti Auctoris, rite intelligatur impigreque executioni mandetur.

Methodus autem, quae et Directorem Exercitiorum respicit et ejus exercitantem, ita generalis est, ut unicuique homini applicari possit et sufficiat. Si nimirum ad specialia descendisset S. Fundator, non omnibus fuisset ejus liber adaptatus; quod incommodum in plerisque meditationum libris occurrit, qui vestem confectam offerunt non semper subjecto adaptatam. Pannum vero tantum praebet Ignatius, cum optima illum cuivis adaptandi methodo.

1. Quoad *directorem,* methodus ab eo tenenda in 2ª, 4ª, 6ª, et sequentibus Annotatio-

nibus describitur. Recolantur quae circa illa documenta in commentariis fuse exposuimus. Nimirum materiam tantum evolvet, vel potius declarabit director, quantum, pro capacitate et conditione exercitantis necesse erit, ut hic labore proprio quae sibi conveniunt reperiat. Sic variae omnino pro variis hominibus meditationum expositiones a Directore parabuntur. Et in hac re summa elucet S. P. prudentia et ingenium.

2. Quoad *exercitantem;* etsi ei S. P. materiam indicat tantum et non praeparat, non tamen eum mittit inermem et imparatum; quippe qui ei ditissimas venas aperit, quas si, a Directore rite instructus strenue scrutabitur, inveniet procul dubio quod quaerit.

Venae autem illae sunt *personarum, verborum et actionum* consideratio ac contemplatio. Quid enim contemplationes sunt, nisi repraesentatio facti, seu Mysterii, quasi res nunc primum ageretur? Quemadmodum in scenicis ludis ita ornatur theatrum, ut antequam actores appareant, locum ipsum in quo res vere facta est spectator videre sibi videatur; sic in 2° praeambulo contemplaturus sibi vividissimam loci repraesentationem effingit, ut non praeteritis, sed quasi praesentibus factis assistat. Ubi autem actio scenica incepit, prodeunt in sce-

nam actores, loquuntur et agunt, quibus tribus omnino omnia continentur; ita fit in contemplatione Mysteriorum, cum hoc tantum discrimine, quod actionem sistere, quantum libuerit, possit exercitans, ut in puncto aliquo cum fructu et consolatione immoretur. Tandem quemadmodum spectatori ad sensus obtinendos et fructum colligendum, personae, earumque verba et actiones sine commentariis sufficiunt, ita eadem in contemplatione fere sufficere possunt.

« Ceterum, ait Directorium, etsi hic tan-
» tum mentio fit de his tribus, non tamen
» prohibetur, quin possint etiam addi alia
» puncta, ut v. g. cogitationes et affectus per-
» sonarum interiores, tum etiam virtutes, et
» praeterea modus et finis mysteriorum, quae
» occurrunt, causa item et effectus, tempus,
» et reliquae circumstantiae, ut fecundior sit
» meditatio et major ejus fructus. » Verissima quidem illa sunt, sed si quis rem penitius examinaverit, nil ex istis inveniet quod ex tribus illis non oriatur atque in illis non contineatur. Quemadmodum in theatris alia illa puncta quasi sponte spectatori per personas, verba et actiones occurrunt, ita et occurrunt contemplanti.

Etenim non statuas, seu effigies persona-

rum S. P. visu contemplandas proponit, sed personas quales sunt absolute, et proinde cum cogitationibus, affectibus, intentionibus; neque aliter fieri potest. Cetera vero puncta vel ad personas, vel ad verba, vel ad actiones similiter referri possunt, et a Directore in meditationis declaratione referentur.

Notemus Ignatium singulis ex illis tribus semper addere fructum esse capiendum, quo supponitur contemplationem non sine meditatione procedere.

Ast cum S. P. in prima de Incarnatione contemplatione in singulis punctis personas primum, dein verba et tandem actiones ordine ad exemplum proponat, quaeri quidem posset utrum hic ordo in omnibus contemplationibus stricte sit observandus. Ad quam quaestionem universim respondendum videtur negative. Exemplum enim in praedicta contemplatione posuit S. P. N., non ut ordinem imponeret, sed ut ostenderet quam utilitatem capere possit exercitans tum ex personis, tum ex verbis, tum ex actionibus. Hunc ordinem certe non servarunt sive B. Virgo, sive Apostoli ceterique Mysteriorum testes. Jam vero juxta mentem S. Ignatii cum ipsis et sicut ipsi, dum contemplamur, Mysteriis intersumus. Porro ii omnes modo verba,

modo actiones attendebant, prout illa vel alia post alia, vel simul locum habebant; personas autem semper intendebant.

In hunc sensum quaestionem elucidat ipsummet Directorium : « Quod in meditatione » Incarnationis et Nativitatis dicitur de contemplandis personis, et earum verbis, et » operibus, intelligi debet, referendo ad illam, » quam diximus distributionem, quae in fine » libri ponitur, nempe cogitando haec in singulis punctis, ut occurrunt in ordine suo; » non autem quod necessarium sit omnes » prius personas totius Mysterii, deinde omnia verba ejusdem, ac demum opera separatim meditari; hoc enim, praesertim in » quibusdam meditationibus, pareret confusionem. Quare hoc tantum voluit B. P. Ignatius, regulam dare in singulis punctis, » quo meditantis intentio ferri debeat, primum quidem in ipsas personas, quae in illo » puncto occurrunt, tum ad verba, si prius » verba, vel ad facta, si prius occurrant facta. » Et ita absoluto uno puncto, transeatur ad » aliud, eumdem ordinem in eo servando. » Optime addit R. P. Roothaan. « Ergo quae » S. P. mox subjicit puncta, personarum, » verborum et operum, non tam *ordinem* in » meditatione servandum exprimunt, quam

» *materiam*, circa quam versari meditatio » debet. »

Nec tantum ordo ille ut ait Directorium, pareret confusionem eorum nempe quae in Mysterio fiunt ordinem historicum saepius invertendo, sed pareret praeterea taediosam et intolerabilem uniformitatem, ut videre est apud eos qui in hunc scopulum impegerunt.

In fine contemplationum omnium sicut et meditationum, praescribit S. P. colloquium vel colloquia; finale illud colloquium inter varia colloquia praecipuum et capitale est; dico *praecipuum*, nam collocutiones multas in contemplationis decursu cum Deo et Sanctis fieri debere, et natura rerum indicat, et supponit S. P. Vix enim voluntatis exercitium, a S. Fundatore impositum sine colloquiis concipitur. Ideoque ait in fine primi puncti de peccato angelorum : « et conse- » quenter movendo *magis* affectus per volun- » tatem. »

Haec quae de contemplationum methodo diximus, quia omnibus Mysteriis sunt communia, non erunt a nobis in posterum repetenda, sed, siquidem ipsam Exercitiorum Sancti Ignatii quasi propriam essentiam constituunt, fideliter et accurate in omnibus erunt observanda.

Secundae Hebdomadae

Prima dies

PRIMUM EXERCITIUM

CONTEMPLATIO EST

de Incarnatione, et continet in se orationem praeparatoriam, tria praeambula, et tria puncta, et unum colloquium.

Ex sola hac contemplatione, maxime si cum distributione in tria puncta ad calcem libelli posita conferatur, sole clarius apparet S. Ignatium, cum 1. personas, 2. verba, 3. opera esse contemplanda praescribit, non *ordinem* servandum assignasse, sed *materiam* subministrasse circa quam exercitium in singulis punctis fiat juxta Mysterii decursum, quin pertubatio in serie factorum historica interveniat. Haec enim S. Fundatoris mens procul dubio est, ut mysteria iterum ob oculos per imaginationem eo ordine quo locum habuerunt peragantur; neque logico simul et naturali Sancti Ignatii ingenio consonum est, ut pro una mysterii repraesentatione triplicem exigat, ita ut in prima personae tantum eaeque mutae videantur, in secunda quasi oculis clausis verba audiantur, in tertia movere se et

agere actores incipiant. Posset quidem tale quid fieri in primo orandi modo ad rectum animae potentiarum et sensuum corporis usum, sed in contemplatione Mysterii nequaquam.

Ne quis ergo longiori illa trium punctorum expositione in errorem inducatur; quae expositio venas ditissimas ostendit atque aperit, ad hocque unice tendit ut bene sentiat exercitans quam utilitatem ex consideratione personarum, verborum et actionum depromere possit.

Ceterum ordo et processus in praesenti Mysterio servandi ab ipsomet S. P. N. lucidissime in primo praeambulo praescribuntur; ita ut si distributio in fine libelli posita et ad quam exercitans remittitur, praeambulo illi subscribatur, contemplatio suas omnes partes in ordinem redactas habeat; scilicet: Humani generis corruptionem, decretum Incarnationis, hujus mysterii communicationem et executionem; quae omnia per modum historici summarii in ipso primo praeambulo memoriae proponenda sunt.

Primum praeambulum est, adducere (in mentem) historiam ejus rei quam contemplari debeo (sic natura primi praeambuli nitide definitur), *quae hic est : quomodo tres divinae Personae speculabantur totam planitiem vel ambitum totius*

mundi plenum hominibus; et quomodo videndo quod *omnes descendebant ad Infernum, decernitur (a SS. Trinitate) in sua aeternitate, ut secunda Persona homo fiat, ad salvandum genus humanum; atque ita, ubi venit plenitudo temporum, mittendo Angelum S. Gabrielem ad Dominam nostram. Infra (inter Mysteria vitae Jesu Christi Domini nostri).*

In secundo praeambulo, quod occupat et figit imaginationem, loci compositionem fieri vult S. P. : *Secundum (praeambulum), compositio videndo locum. Hic erit, videre magnam capacitatem et ambitum mundi, ubi habitant tam multae ac tam diversae gentes. Similiter deinceps (videre) in particulari domum et cubicula Dominae nostrae in civitate Nazareth in provincia Galilaeae.*

Nota vocem *deinceps,* qua videtur S. Ignatius indicare compositionem loci ultimo positam, scil. domus B. Virginis, ad illud punctum esse differendum, in quo de Annuntiatione agetur.

Primum punctum. — Incarnationis decretum et ejus annuntiatio.

1. **Causa decreti** : humani generis corruptio et perditio. *Quomodo,* ait praeambulum, *tres divinae Personae speculabantur totam planitiem vel ambitum totius mundi plenum hominibus; et*

quomodo videndo quod omnes descendebant ad infernum...

Primum proponit exercitanti S. P. physicum, ut ita dicam, totius generis humani spectaculum, quo nihil aptius ad inculcandam tam brevis, tam mutabilis, tam miserabilis vitae terrestris vanitatem : *primo, eas personas quae sunt super faciem terrae, in tanta diversitate* (hanc diversitatem dein evolvit) : *ita in vestibus (habitibus) ut in gestibus : alios albos et alios nigros; alios in pace, et alios in bello; alios plorantes, et alios ridentes; alios sanos, et alios infirmos; alios nascentes, et alios morientes, etc.*

Quae omnia, etiam post Redemptionem, omnibus sunt temporibus communia. Neque innumerabiles illae hominum multitudines, facie et sorte tam variae, diu consistunt super faciem terrae, sed continuo alii aliis succedunt, ac post brevem vitam omnes ad unum ex hoc mundo evanescunt; *alios nascentes, et alios morientes.* « Et sic omnium finis mors est, « ait Th. Kemp., et vita hominum tan» quam umbra subito pertransit. » Ast non omnia cum morte finiuntur; post mortem sequitur aeternitas. Hinc secundo, morale generis humani spectaculum S. P. ponit, ut est in oculis Dei, qui, non posita Redemptione, *videt omnes* post mortem *descendere ad infernum.*

Sublime quidem, at simul terribile spectaculum! *Videre,* ait S. P., nec videre tantum, sed *et considerare tres Personas divinas,* (et ad percellendos Majestate animos), *ut in solio regali,* sive throno suae divinae Majestatis, *quomodo intuentur universam faciem et ambitum terrae, et omnes gentes* (quanta multitudo!) *in tanta caecitate, et (vident) quomodo moriantur et descendant ad infernum. In tanta caecitate.* Si enim terribilis et stupenda nimis hominum caecitas extra Redemptionem dicenda est, quanto magis stupenda caecitas, voluntaria haec, hominum qui vel repudiant Redemptorem, vel ab eo jam suscepto per schismata et haereses discedunt! at quid de ipsorum Catholicorum caecitate sentiendum, qui medio in lumine Solis justitiae stantes, qui sanguine Christi abluti, qui tot Sacramentorum gratia suffulti, qui tot Sanctorum exemplis incitati, in vitia corruunt, scientes et credentes non aliam sibi reservari expectationem quam terribilis judicii aeternarumque inferni flammarum? Quam horribile istos manet supplicium!

Quid dicunt, quid agunt, quid et nos dixissemus et fecissemus omnes ante aeternam damnationem, nisi Redemptor intervenisset? *jurant, blasphemant,* turpia aut injuriosa ore proferunt, *se invicem feriunt, occidunt,* turpiter

commaculant, *cunt ad infernum*. Ita et nunc sylvestres barbararum Indiarum incolae. O lugubre et ignominia plenum spectaculum, quod tot nostri temporis impii ac perversi homines, idololatrarum gentium turpem ac bestialem libidinem desiderantes, paganismum innovare contendunt!

2. **Incarnationis decretum.** *Quomodo,* ait primum praeambulum, *videndo quod omnes descendebant ad Infernum, decernitur a Sanctissima Trinitate in sua aeternitate, ut secunda Persona homo fiat, ad salvandum genus humanum*. Quemadmodum eadem SS. Trinitas, ubi de creando homine agebatur, dixerat : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram;* ita et nunc, ubi homo divinam illam imaginem amisit, ut animalem et bestialem indueret, dicit : *Faciamus redemptionem generis humani*. O vere infinita Sanctissimae Trinitatis erga scelestum, rebellem, ac foede deformatum hominem dilectio! O sapientiae, omnipotentiae, misericordiae abyssus infinita! Creatio quidem nihil Illi constitit qui omnia potest : *Dixit, et facta sunt*. At quam incomprehensibile Redemptionis nostrae consilium est! Quanta oblatio, quantus amor Filii Dei offerentis se Patri suo? *Hostiam, et oblationem noluisti : corpus autem aptasti mihi : holocauto-*

mata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi : Ecce venio : in capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam (HEBR. 10, 5). Voluntas autem illa talis est, ut inde obstupescant coeli. Verbum infinitum, Deus, caro fiet quae finita, quae nihil est. Cum in forma Dei sit, exinanibit semetipsum, et ad quid? Respice calvariam, respice crucem : *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (PHIL. 28). Sic *dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.*

3. **Annuntiatio.** (LUC. c. 1). *Atque,* ait primum praeambulum, *ubi venit plenitudo temporum,* et pergit in fine libelli (ad primum punctum Ignatius) : *Angelus sanctus Gabriel salutans Dominam nostram, ei nuntiavit conceptionem Christi Domini nostri. (Ingressus Angelus ad eam dixit : Ave, gratia plena, concipies in utero, et paries Filium.)*

Contemplabor in domo, quae jam Laureti habetur portata ab Angelis, B. Virginem immaculatam, sanctissimam, modestissimam et amabilissimam, caelestem illam raptatricem cordium, Deo cariorem quam omnes simul Sancti atque Angeli sunt, quamque vidisse, amare est. En subito missus a Patre aeterno Angelus in forma humana accedit ad Virginem : cumque animas videant Spiritus An-

gelici, videt animam Mariae tanta gratia et pulchritudine ornatam, ut a primo aspectu obtupescat, et summa cum reverentia eam salutet : *Ave,* scil., tibi omnia divine prospera, o Beata! *gratia plena,* gratiosa quia tu sola Deo placuisti et sola amorem Spiritus Sancti rapuisti, qui te alloquens exclamat : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te*; *columba mea, formosa mea, perfecta mea,* corda coelitum omnium rapies in aeternum. *Dominus tecum ;* ibi enim templum et sedes Dei, ubi augustissima sedes est inter creaturas : atqui tecum comparati ceteri homines omnes vel lutei sunt vel ignobiles : domus autem tu aurea es ex auro purissimo et splendidissimo a Spiritu Sancto elaborata. *Benedicta tu in mulieribus;* non tantum benedictione plena, qua Sanctorum et Angelorum culmina ut fundamenta superans, inde usque ad pedes throni Dei exsurgis; sed quia illa es toties ab origine mundi praedicta Mater admirabilis, per quam in Servatore Filio tuo benedicentur omnes gentes. Eva maledictionem nobis attulerat, tu attulisti benedictionem.

Quae cum audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio. Intus ei revelabat Angelum esse se, a quo salutabatur; non igitur propter humanam Angeli formam

turbabatur, nec erat in turbatione imperfectio ulla; sed quomodo ignara adhuc Mysterii humillima Virgo, quae se ad ima semper deprimens solam Dei gloriam aspirabat, laudatoria illa et tam insolita salutatione potuisset non conturbari?

Et ait Angelus ei : Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum. Eam nunc suo nomine cum reverentia et amore appellat : *et nomen Virginis, Maria.* Verba : *ne timeas* non exhortatoria sunt tantum, sed et operatoria, ita ut inde Immaculata Virgo plenam pacem possideat, caelicum Nuntium ipsius Dei esse legatum agnoscens : invenisti gratiam *apud Deum.*

Et ecce continuo divinum ac mirabile Dei consilium manifeste aperitur Virgini : *Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum.* Nomen illud Jesu omne illico dubium tollit : Mater nempe Salvatoris mundi futura est; Maria nunc intelligit cur sit benedicta in mulieribus. Et ecce quasi hymnum sublimissimum intonans Angelus, Filii Mariae, qui et Dei Filius est, laudes celebrat. *Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur* (ergo Deus est; est et homo et Rex) *et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus;* qui quidem de Eo prophetans dixerat : *Dixit Dominus Domino*

meo : sede a dextris meis; et regnabit in domo Jacob in aeternum. Et regni ejus non erit finis.

De tanta sua dignitate non exsultat prae gaudio B. Virgo; immo sibi mortua, in nullaque re sibi vivens, ut soli gloriae Dei viveret, se tanta dignitate, ut fit, indignam non dicit; at suum virginitatis votum Angelo objicit, suamque, sicut et Joseph, virginitatem affirmat. Virginitatem autem, non quidem secundum dignitatem, sed secundum Dei gloriam, pluris facit quam divinam maternitatem : esse enim matrem Dei, hoc personale privilegium est, quod altari dari possit; esse virginem, hoc est eximium quid dedisse Deo : praeterea vovit virginitatem et ex voluntate Dei vota servanda sunt : *Dixit autem Maria ad Angelum : Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Angelo sane non obsistit, sed difficultatem sibi insolubilem ponit : Quomodo scilicet et Mater esse possim et virgo? nam votum feci, quod violare non licet. Magna in hoc fides emicat; nam nec de maternitate dubitat nec de virginitate; tantum quomodo illa consociari possint non intelligit. Ast ex hoc ipso divinae maternitati idonea est, quia virgo; qui enim, ut Deus, ex Patre virgine est, ex virgine matre, quatenus homo est,

nascatur oportet : sic enim dixerat Isaïas : *Ecce Virgo concipiet et pariet filium,* ipsissimis verbis usus, quibus Angelus.

Cecinit supra Christi laudes Angelus, et ecce quaestioni positae respondens, quasi divinam Matris Jesu maternitatem per futuram singularum SS. Trinitatis Personarum operationem sublimissime extollit : *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi* (i. e. Patris) *obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei.*

Secundum punctum. — Patrandum miraculum alio jam patrato miraculo Beatae Virgini adhucdum ignoto Angelus divinitus confirmat. *Confirmat Angelus, ait S. P. ea quae dixerat Dominae nostrae, nuntiando conceptionem S. Joannis Baptistae dicens illi : (Et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit Filium in senectute sua, et hic mensis sextus est illi; quae vocatur sterilis : quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.)*

Haec altera est annuntiatio ac divina revelatio. Condignum enim erat ut, in tanto Mysterio, tantae Matri ipsismet divinis tribus Personis tam intime et tam sublimiter associandae, divinum consilium sine aenigmate probaretur.

En quomodo semper inter se cohaerent ac

se excipiunt divina consilia : Futurae scilicet Christi Matri Praecursoris Christi nuntiatur conceptio; immo et admirabile Visitationis Mysterium provocatur, in qua tam divina peragentur.

Serio verba haec perpende ad firmandam fidem et ad fiduciam excitandam efficacissima : *quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.*

Gratulare Virgini de tot ac tantis gaudiis; gratulare ei et exsulta de divina ejus maternitate, quae gaudium attulit universo mundo.

Tertium punctum : Consensus Virginis et Verbi incarnatio. *Respondit Angelo, ait S. P. Domina nostra : (Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et discessit ab illa Angelus.)*

Consensus Virginis. Ubi Maria et salvum fore suum virginitatis votum intellexit, et divinam didicit voluntatem, nil amplius praeter hanc Dei voluntatem et salutem humani generis respicit, suique oblita, neque ullam exclamationem, qua aut gaudium, aut suam indignitatem, aut tantae Maternitatis admirationem exprimat, proferens, humiliter subjicit sese Deo ac Domino, neque dicit se accipere divinam maternitatem, sed : *Ecce*

ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum, scil. fiat in me quod vult Deus; serva sum, ancilla sum.

Cura una illi fuit, unus amor, unum gaudium : *Laudare Deum Dominum suum, ei reverentiam exhibere, eique servire.*

Incarnationis operatio. Item, ait Ignatius, *quae faciunt divinae Personae, operantes sanctissimam Incarnationem, etc.;* Angelus hic nil agit; tacet et adorat; divinae enim prorsus hic sunt operationes. Nam eo ipso momento, supervenit in Virginem Spiritus Sanctus, et eam Virtus Altissimi, ut Divinitatis pondus sustinere possit, obumbrat. *Et Verbum caro factum est. O altitudo divitiarum et scientiae Dei!* Qui Filius est Dei *exinanivit semetipsum, formam servi in se suscipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo,* (PHIL. 2, 7), in hac humilitate, nulli, quia infinita est, imitabilis.

Atque ita ad finem quem semper intendit pervenit Ignatius, ad inculcandum videlicet humilitatis et abjectionis amorem : quem exercitanti inveniendum relinquit his verbis : *et postea reflectere, et fructum ex unaquaque ex his rebus capere; ex his* utique; nam et ex Beatissima Dei Matre eumdem fructum capiet et ex Angelo. Quomodo enim divina Mater se

habet, ubi in ea Verbum est incarnatum? *humilians se,* cum sit et *Domina nostra* et Mater Dei. Angelus autem Deo humiliter famulatur : *Angelus agens suum officium legati.* Officium autem suum ubi implevit, discedit : *et discessit ab illa Angelus.* Remanet *B. Virgo sola, humilians se et agens gratias divinae Majestati.* O pulcherrimum gratiarum actionis post S. Communionem exemplar!

Colloquium, juxta modum praescriptum. *In fine, ait S. P. faciendum est colloquium, cogitando quid loqui debeam ad tres Personas divinas; vel ad Verbum aeternum incarnatum, vel ad Matrem (ejus) et Dominam nostram; petendo secundum id quod (quis) in se senserit, (quae juvent) ad magis sequendum et imitandum Dominum nostrum, ita recens incarnatum : dicendo (in fine) Pater noster.*

Cogitando quid... non ut concinnam aliquam orationem componam et exquisita verba inveniam : haec enim quae terrestribus principibus conveniunt, divinam dedecent Majestatem, quae *humilibus dat gratiam* (Jac. 4, 6); et *cum simplicibus sermocinatio ejus* (Prov. 3, 32); sed cogitabo quas *res* dicere debeam, res scilicet quibus meum amoris et grati animi affectum exprimam *Verbo* primum, quod, cum esset Deus *aeternus* pro me in tempore est

incarnatum; *Patri* dein qui Virtute sua Virginem obumbravit, et adeo me dilexit ut mihi Unigenitum suum Filium daret; tandem *Spiritui Sancto* qui tam divine et tanto cum amore supervenit in Virginem; quam et ego, ut purissimam, ut amantissimam, ut nobilissimam Dei Matrem amabo et reverebor : *Matrem ejus et Dominam nostram.* Haec quidem de sensibus et affectibus; sed ubi ad ea quae petenda sunt S. P. accedit, ad solidiora et praeclariora amoris pignora convertens exercitantem, serio cogitandum esse docet : *cogitabo et petam quae juvent ad magis sequendum et imitandum Dominum nostrum ita recens incarnatum.* Jam vero in quo hoc loco imitari potest exercitans Christum, nisi in humilitate quae sola hic cum charitate exercetur? *Exinanivit semetipsum* nec horruit, cum esset Deus, uterum Virginis. Hic ergo executioni mandanda determinatio colloquii de Regno Christi : *imitari te in ferendis omnibus injuriis et omni vituperio,* idque ex amore erga Dominum nostrum *ita* pro me recens incarnatum.

N. B. Cum in fine libelli inter mysteria vitae Domini ponatur contemplatio de Visitatione B. V., cumque hic de ea, sicut de decem aliis ibidem indicatis, mentio nulla fiat, aliqua sunt hac occasione adnotanda.

Procul dubio undecim illas contemplationes non posuit ac divisit S. P., ut adhiberi non possent. Nimirum capitales, ut ita dicam, materias solas in corpore libelli praescripsit, quae directius ad scopum quem intendit, nimirum ad vitam religiosam et apostolicam conducant. Cum autem raro accidat, ut exercitanti conveniat quinque unius horae exercitia circa unicam, aut circa duplicem ad summum materiam, facere, committit directori S. P., ut aliquas ex fine libelli contemplationes, pro capacitate et dispositione subjecti, praescriptis contemplationibus interponat. Directori enim multa concedi voluit, modo se intra septa contineat. Attamen ex pluribus locis Exercitiorum apparet perfectionem, juxta S. Patrem, in hoc esse positam, ut exercitans, si potest, duas, immo quandoque tres repetitiones et sensuum applicationem circa unam eamdemque contemplationem in die faciat : *non multa; sed multum;* et in 2ª annot. : *Non abundantia scientiae satiat animam, eique satisfacit, sed sentire ac gustare res interne.* Quo magis homo in arte contemplandi proficiet, eo etiam pauciores materiae ei ad meditandum sufficient; hinc, cum supponat S. P. eum procedendo proficere, a quinta die ad duodecimam, non amplius duas pro singulis diebus

contemplationis materias proponit, sed unam tantum, primo media nocte et secundo in aurora integre perpendendam; ejusdem sequentur ante meridiem et hora vesperarum, juxta modum initio indicatum, repetitiones; ante caenam autem fiet applicatio sensuum. Sic semper in eodem per integram diem fodiendo, ad ima perveniet exercitans; idque eo magis est exoptandum, quod S. P., missis ad calcem libri, quae magis ad pios sensus fovendos idoneae sunt contemplationibus, eas in secunda hebdomada assignaverit, quae ad solidas virtutes evangelicas inculcandas et ad spiritum apostolicum excitandum, sunt aptiores.

Cum autem non sine causa S. P. in fine libelli, plures quam in libelli corpore contemplationes posuerit, et aliunde directori, pro opportunitate, plures vel pauciores tradere committat, ordinem in fine libelli positum sequemur. Eliget vel omittet, prout judicaverit, Director.

SECUNDUM EXERCITIUM

De Visitatione Dominae nostrae ad Elisabeth

AGIT S. LUCAS C. I.

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Erit hic, quomodo iverit Domina nostra a Nazareth in Hebron ad S. Elisabeth; quomodo ad salutationem ejus exsultaverit Joannes in utero matris, et repleta Spiritu Sancto exclamaverit Elisabeth : *Benedicta tu in mulieribus;* quomodo et Domina nostra cantaverit canticum *Magnificat,* et manserit per tres menses in domo Zachariae, usque ad nativitatem S. Joannis, Praecursoris Domini.

Secundum praeambulum, compositio loci. Erit hic videre visu imaginationis viam, quae ducit a Nazareth in Hebron trans Jerusalem; an plana, an montana; et domum Zachariae.

Tertium praeambulum, idem ac in mysterio Incarnationis.

Primum punctum. — *Primo,* ait S. P., *cum Domina nostra visitasset Elisabeth, S. Joannes Baptista existens in utero matris suae, sensit visitationem quam fecit Domina nostra. (Et ut audivit salutationem Mariae Elisabeth, exultavit*

infans in utero ejus, et repleta est Spiritu Sancto Elisabeth, et exclamavit voce magna, et dixit : Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.)

Lucas ait : *Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum festinatione, in civitatem Juda :* (1).

Quod de adoptivis Dei filiis dixit Apostolus : *Qui spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei,* id multo magis de naturali Matre Illius, qui consubstantialis est Filius Dei, verum esse putamus. Atque adeo ex quo supervenit in eam Spiritus Sanctus et concepit in utero Filium Dei, non nisi Spiritui Sancto, qui est Spiritus Jesu, in omnibus eam moventi obsecundabat.

Porro plures ob causas Spiritus Jesu propulit Mariam in Hebron, in domum Zacha-

(1) Civitas illa non videtur fuisse Jerusalem, quae erat in tribu Benjamin, sed Hebron, quae erat in tribu Juda, et una ex primariis civitatibus sacerdotibus tribus Juda assignatis ad habitandum ; sita in monte non multum distabat ab Emmaüs, scil., a loco ubi erant montana Judaeae ac dein montana Hebron. Rectum autem iter in Hebron ibat per Jerusalem ; hinc probabile est Dominam nostram visitasse, antequam pergeret in Hebron, templum Jerusalem. Iter a Nazareth in Jerusalem trium erat dierum ; unius autem iter a Jerusalem in Hebron.

« Nicephorus (ex Adricom.) ait : Domus Zachariae sacerdotis uno » milliario distabat ab Emmaüs, juxta montana... hanc reverenter sa» lutare consueverant peregrinantes : ibi natus est Joannes Baptista ; » circumcisus, et in spelunca absconditus, ne cum pueris ab Herode » occideretur. Juxta hanc fons est B. Virginis, ex quo illa aquam » haurire consueverat. » In illa quoque domo erat olim ecclesia.

riae. Et primo quidem, ut Verbum Incarnatum statim munere suo Salvatoris fungeretur, seque annuntians gratias effunderet : secundo, ut Joannem dilectum suum Praecursorem a peccato originali quantocius solveret; tertio, ut gravidae senique Elisabeth de concepto per miraculum Joanne congratularetur Maria, eique serviret; quarto, ut Joannes, praesente per tres menses Christo, mire in gratia proficeret; quinto, ut Mater Dei, caeli Regina, admirabile humilitatis et charitatis praeberet exemplum, dum ei ancillatur, quae ipsius ancilla esse debuisset. Multo autem mirabilius exemplum Christi est, qui Dominus ad servum venit. Quid in Jesu, quid in Matre ejus, quid in servis ejus invenias, quod non humiliationem sapiat?

Exurgens Maria. Post aliquot dies in contemplatione humillima et amorifera positos, statim atque a Spiritu movetur, solitudinis delicias relinquens, ut obedientiae et charitati satisfaciat abit in montana.

Contemplare igitur eam tu gnarus quem in utero portet, contemplare et Angelos cum ineffabili reverentia et amore comitantes; comitare et tu vivum Dei vivi tabernaculum. Contemplare humilitatem Virginis, dum Filium Dei in se incarnatum viva et ardenti

fide incessanter intuetur, ejus amorem, recollectionem animi et modestiam. Quam praeclara Virgo, quam admirabilis Mater, sedes illa divinae Sapientiae, domus aurea et vas insigne devotionis, candidum lilium Sanctissimae Trinitatis, et rosa mystica caelicae amoenitatis. In eam avolet cor tuum. *In odorem unguentorum tuorum currimus; adolescentulae dilexerunt te nimis.* Neque Dilecto dicas : *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie,* cum scias eum esse in Maria. *Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum. Ecce pulcher es, dilecte mi, et decorus.* (CANT. 1).

Abiit in montana : sic in Sanctis amor Dilecti venit et ipse *saliens in montibus, transiliens colles.* Quid enim impedimenti verum amantem morari valeat? *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio : lampades ejus ignis atque flammarum* (CANT. 2, 8).

Abiit *cum festinatione.* Nescit, ait Ambrosius, tarda molimina Spiritus Sancti gratia. Et re quidem vera, quomodo modestissima, purissima Virgo et in caelestem ecstasim rapta, quomodo Mater Sanctissima non se quantocius ad vocem Domini festinans expedivisset?

Ingredere cum Maria et Jesu domum Zachariae, ibique contemplare personas, verba

et opera, fructumque ex his collige. Duae personae visibiles sunt, Maria et Elisabeth; invisibiles autem Jesus et Joannes; inter invisibiles autem, summa et divina tractantur.

Et intravit domum Zachariae, et salutavit Elisabeth, dicens, ut mos erat Hebraeorem : *Pax tecum.*

Et factum est, ut audivit salutationem Mariae Elisabeth, exsultavit infans in utero ejus : et repleta est Spiritu Sancto Elisabeth : et exclamavit voce magna, et dixit : Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo.

Humilis Virgo prima salutat, sicut prior invisit; at eo momento, quam divina illico fiunt! « Vox Virginis, ait Theophilactus, vox » erat incarnati in illa Dei. » Euthymius autem : « Christus, inquit, locutus est per os « Matris suae; Joannes autem audivit pariter » per aures matris suae, et agnito supernaturaliter Domino, sua exsultatione illum » praedicavit. » S. Leo, Serm. de Epiph. : « Nondum natus, ait, Joannes prophetica » exsultatione commotus est, quasi etiam intra matris viscera clamaret : Ecce Agnus » Dei. »

Quot uno momento miracula! Dum suam incipit salutationem Mater Dei, Christus in ejus utero salutans Joannem ab originali eum labe purificat, rationis usu donat, ac replet Spiritu Sancto; quo revelante ille agnoscit atque adorat Verbum incarnatum, ejusque sua exsultatione Praecursor efficitur : *Ecce Agnus Dei.* Spiritus Sanctus eodem momento a Joanne in matrem ejus effusus, ipsam, quin verbum de ea re prolatum fuerit, subito et infallibiliter docet Christi praesentis Incarnationem ac divinam Mariae Maternitatem.

Exsultavit infans in utero meo : Exsultatio illa et supernaturalis fuit, juxta Patres, et cum usu rationis conjuncta : exsultavit enim *in gaudio*, et exsultans effecit ut prae gaudio exsileret quoque mater, quae velut in ecstasim rapta coram tam admirabili Mysterio *exclamavit* et dixit prophetans : *Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui,* sicque divinam Maternitatem simul et Incarnationem Verbi expressit.

Benedicta tu, quia ex omnibus mulieribus electa es ut Mater esses Salvatoris : tu Benedicta illa es, olim in Paradiso promissa; tu illa es, per quam ille nascitur in quo Abrahae praedixit Deus benedicendas fore omnes gentes.

Reflexa autem in seipsam, et gratiam quam accipit cum sua conferens vilitate, ad eum sensum venit ad quem omnes veniunt qui a Spiritu Sancto illuminantur, scil. profundissimae humilitatis : *Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo.* Intellige, si potes, quid gaudii pro Filio suo senserit ad haec divina Mater. Quid jam sunt terrena omnia, si cum istis caelestibus et divinis comparentur?

Mira circa fidei praestantiam et necessitatem, necessitatem dico etiam in Matre Dei, addit Elisabeth : *Et beata quae credidisti, quoniam perficientur ea quae dicta sunt tibi a Domino.*

Secundum punctum. — *Secundo,* ait S. P., *Domina cantat canticum, dicens : (Magnificat anima mea Dominum).*

S. Lucas dicit : Et ait Maria : *Magnificat anima mea Dominum, et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo.*

Cantavitne canticum B. V., ut S. P. videtur credere, an simpliciter dixit, ut Lucas innuere videtur : *ait Maria?* Possunt ista conciliari : sicut enim in magno, in entheato praesertim affectu, soluta ipsa oratio rythmum quemdam carmini poetico non absimilem quando que sponte mutuatur, ita et vocalis oratio in

simili affectu, quamvis non sit cantus proprie dictus, tamen ad cantum accedit. Atque hoc modo S. P. dixisse : *cantat canticum* probabiliter censuerim. Nisi cui explicatio alia magis obvia praeplaceat, ab ipsa beatissima Matre, inspirante divino Spiritu, tunc primum *ea* fuisse *verba* prolata quae nos in Ecclesiae Vesperis *decantamus* in ejus laudem.

Quamdiu hujus cantici meditationi insistes, contemplare, quasi praesentem cerneres, divinam Matrem : attende in ea puritatem immaculatam, et virgineum splendorem, humilitatem, modestiam, amorem, amabilitatem, raptum caelestem et superangelicam ecstasim; contemplare et Elisabetham, ejusque sensus coram Dei Matre indue.

Canticum *Magnificat* tres partes satis distinctas habere videtur :

1ª Pars, a v. 46 ad 50. Magnificat B. V. Deum propter beneficia sibi propria, maxime vero propter ipsam divini Verbi in se conceptionem.

Magnificat anima mea Dominum : Sic Elisabethae quae ipsam a Maternitate divina laudaverat, dicens *Benedicta tu,* respondens Beata Mater laudes ad originarium suum ac verum refert fontem, atque in auctorem Deum omnia omnino refundit; sic ad perfectum usque

finem hominis adimplet : agnoscit Deum creatorem, omnium bonorum auctorem, omni reverentia et adoratione dignum; ipsum ut tantorum beneficiorum donatorem laudat, id est, admiratur et amat; seipsam vero ut humilem ancillam praedicat.

Audi S. Bernardum in serm. de Apoc. : « Magna quidem praeconia, sed et devota » humilitas ; nil sibi passa retinere, cujus in » se beneficia laudabantur. Tu, inquit, ma- » gnificas matrem Domini, sed magnificat » anima mea Dominum. In voce mea perhibes » filium tuum exsultasse in gaudio, sed exsul- » tavit spiritus meus in Deo salutari meo. Et » ipse quoque tanquam amicus Sponsi gaudet » ad vocem Sponsi. Beatam esse dicis, quae » credidisset, sed credulitatis et beatitudinis » causa respectus est supernae pietatis, ut ex » hoc magis beatam me dicant omnes gene- » rationes, quia ancillam humilem et exiguam » respexit Deus. »

Magnificat, agnoscens in opere Incarnationis omnium maximo, infinitam Dei sapientiam, potentiam et bonitatem.

In Deo salutari meo, graece in *salvatore meo,* scil. in *Jesu meo,* in Jesu qui meus est, quia Filius.

Cur autem exsultat spiritus meus? *Quia*

respexit Altissimus humilitatem ancillae suae; respexit scil. quia, gratuito, benevole, cum magnificentia, me amando et amplexando voluit respicere, cum ex parte mea nulla causa esset; nam nihil eram ex me, nisi abjectio, et ex parvula ancilla me fecit Matrem Filii sui. Et ecce Maria, Spiritu Sancto inspirante, quasi rapta extra se, prophetat : *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Utique beatam et beatissimam eam dicent. Hucusque enim a decimo jam et nono fere saeculo generationes omnes beatam eam dixerunt, celebraverunt, acclamaverunt; et ecce eam beatam acclamat praesens generatio, ei altaria donat, ei templa aedificat, ei publica festa dicat novaque supperaddit; turmae innumerae ad ejus sanctuaria ex omni parte confluunt, millies et millies ingeminantes : *Benedicta tu in mulieribus;* ex omni loco in toto orbe *surrexerunt filii ejus et beatissimam praedicaverunt* (Prov. 31, 28). Neque nunc tantum ita fiet; sed et ad finem usque mundi, filii Evae, sui exilii tantisper obliti, de beatitudine Matris Dei et suae laetabuntur et gloriabuntur, atque a longe de finibus terrae ad caelum clamabunt : O Beata! neque omnibus hujus mundi temporibus tantum omnes generationes id facient, sed et in caelo, quam-

diu erit Deus, Angeli et caelites in aeternum dicent : O Beata! in aeternum, sicut et nunc Virgini illi Matri super omnes choros Angelorum et super Sanctos omnes exaltatae cultum hyperduliae laetantes praestabunt. Et merito quidem beata dicetur in saecula,

Quia fecit mihi magna qui potens est. Fecit magna, et quidem tanta ut majora, quantumvis omnipotens, facere non valeat. Majora enim opera quam fecit facere potest Deus, tribus tamen exceptis, juxta Doctorem angelicum, Incarnatione videlicet Verbi, Maternitate divina et visione Dei beatifica : his majora Deus facere non potest, quia nil ipsomet Deo majus aut melius esse potest.

Fecit mihi magna; fecit me Matrem Dei; fecit me solam in conceptione immaculatam; fecit me gratia plenam et a quacumque peccati labe immunem; per inauditum miraculum fecit me Virginem simul et matrem, fecit me Matrem in tempore Illius qui ab aeterno consubstantialis ejus est Filius : Pater Altissimus me recepit in filiam, et me virtute sua adumbravit; Filius me elegit in matrem; Spiritus superveniens in me, me elegit in sponsam et divinis quibusque monilibus adornavit.

Et haec omnia, ex maternitate mea quasi necessaria fuere; nam sanctus, infinite sanctus

est ille quem utero concepi : *et sanctum nomen ejus;* quod Angelus ipse dixerat; *ideoque et quod nascetur ex te Sanctum vocabitur.*

Et sanctum nomen ejus : nec sanctum tantum, sed et sanctificans. Ideo enim Christus est incarnatus, ideo Mater Dei effecta sum, ut in genus hominum, sublato peccato, sanctitas difflueret, atque in imaginem Dei homo restitueretur.

2ª Pars : *Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum;* sicut enim Deus potentiam suam et sanctitatem in Incarnatione, ita et in omnibus saeculis, propter Christum ostendit semper et porro ostendet misericordiam suam timentibus eum, iis scilicet qui eum amant et timent offendere; inimici autem ejus eorumque asseclae, vim brachii ejus sentient et perdentur. *Fecit potentiam in brachio suo : dispersit superbos mente cordis sui,* eos nempe qui alte de se cogitantes corde superbiunt, nec Deum reverentur. Ita Pharaonem per Moysem; per Josue et judices, Chananaeos; Philistinos autem, Ammonitas, Idumaeos per Davidem contrivit; ita etiam per Christum, Luciferum ejusque asseclas, et Ecclesiae Christi persecutores, dejiciet et conteret. *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles :* id est, pusillos, contemptos et impotentes.

Hic alludit B. V. patri suo David, quem Deus pro superbo Saule in throno posuit; alludit et sibi humillima Virgo quam Deus ad divinam maternitatem evexit.

Esurientes implevit bonis. « Sic, ait Cornel. a » Lap., esurientes Hebraeos manna de caelo » pluente aluit in deserto per 40 annos. Sic » eosdem induxit in terram promissam lacte » et melle manantem; sic Eliam esurientem » Deus pavit per Angelum, Danielem in » lacu leonum per Habacuc; Paulum pri- » mum eremitam per corvum. Sic et B. Vir- » ginem esurientem et sitientem justitiam » pavit Verbo incarnato, ac eodem fideles » omnes pascit in Eucharistia magisque pas- » cet in caelo. Hoc enim hic intendit signi- » ficare Spiritus Sanctus, et hoc ad praesens » Incarnationis mysterium pertinet. »

Ita quidem pro esurientibus; nam eos qui divites sibi videntur, nec esuriunt, alio modo tractabit Deus : *et divites dimisit inanes :* sic egit Christus cum Pharisaeis, qui se justos esse profitentes, ceteros aspernabantur.

3ª pars. In hac B. Virgo testatur Deum, Messiam mittendo, promissiones Patribus factas adimplevisse : *Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiae suae;* scil. Deus Israel, quem ut filium tenere diligebat, sed nunc

misere collapsum, suscepit, erexit, ut eum salvum faceret; misit enim ad eum Salvatorem, minime negligens vel oblitus, sed sapientissime recordatus misericordiae suae.

Sicut locutus est ad patres nostros, quae est velut parenthesis, ita ut sequens facienda sit conjunctio : *recordatus misericordiae suae* promissae *Abraham et semini ejus,* qui est Christus, ut ait Paulus, sed et omnibus in Christo vere credentibus, tum ex Judaeis, tum ex gentibus. Omnes enim, qui, sive ex Judaeis, sive ex gentibus, crediderunt et credent usque ad finem mundi filii Abrahae sunt et de semine ejus : *et semini ejus in saecula.* Abrahae enim, non pro Judaeis solum, sed et pro omnibus gentibus et earum generationibus dictum est : *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae; in semine tuo*, scil. in Christo et progenie ejus spirituali; nam Christus dixit : *ego sum vitis, et vos palmites.*

Tertium punctum. — *Tertio,* ait S. P., *(Mansit Maria cum illa quasi mensibus tribus : et reversa est in domum suam.)*

Mansit quasi tribus mensibus, donec scilicet nasceretur Joannes Baptista.

Mansit autem duabus de causis : ut Elisabethae inserviret et ut S. Praecursor praesentia Christi magis ac magis sanctificaretur.

Interiorem domum Zachariae contemplare, et in ea Elisabeth, Zachariam ab Apparitione Gabrielis Archangeli surdum et mutum; et Mariam, Matrem Domini, utrique humiliter et cum charitate ancillantem; quaerentem ad usum familiae aquam in proximo fonte qui ab ea dictus est fons Virginis, et abjectissimis officiis prompte, amanter et cum devotione vacantem. Quo excelsior, eo etiam est humilior; nec vilia illa suae dignitati repugnantia existimat. Spiritum enim habet Filii sui, *qui cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum... et humiliavit...* Itaque in schola Christi gloria in opprobriorum amore consistit : et nil in ordine servandarum animarum fit, nisi per voluntariam humiliationem, quae sola verae dignitatis et supernaturalis efficaciae origo est et fundamentum. *Humiliavit semetipsum... propterea, etc.*

Sed et propter finem multo altiorem remansit Maria, nimirum ad sanctificationem S. Praecursoris et matris ejus. « Non solum » familiaritatis est causa, ait S. Ambrosius, » quod diu mansit, sed etiam tanti vatis » profectus. Nam si primo ingressu, tantus » profectus exstitit, ut ad salutationem Mariae » exultaret infans in utero, et repleretur Spi- » ritu sancto mater infantis, quantum pu-

» tamus usu tanti temporis sanctae Mariae » addidisse praesentiam! »

Sicut ex praesentia invisibilis Christi in tabernaculo B. Virginis delitescentis, mirabiliter profecit Joannes : ita et nos Religiosi, qui sub eodem tecto cum Jesu eucharistico per totam vitam habitamus, quantum proficeremus, si vividiorem fidem haberemus! ast ex parte saltem et nobis dici posset ab ipso Joanne : *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis.*

In fine colloquium et *Pater noster.*

TERTIUM EXERCITIUM

Contemplatio est de Nativitate

LUC. C. I.

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum *est historia; et erit hic, quomodo a Nazareth egressi sunt Domina nostra, novem fere mensibus gravida, ut pie meditari licet, insidens asinae, et Joseph, et ancilla, ducentes bovem, ut irent in Bethleem ad solvendum tributum, quod Caesar omnibus illis regionibus imposuerat Infra (Vide in Mysteriis Vitae Jesu Christi Domini nostri).*

Hanc notam opportune subjecit R. P. Roo-

thaan : « *Ut pie meditari licet.* Haec verba » leguntur in hispano exemplari post illa ver- » ba : *novem fere mensibus gravida;* in antiqua » vero latina versione *ms* habentur post illa : » *cum bove* : Utrobique autem apposita sunt » in margine, propria S. P. Ignatii manu, » et referuntur, ut patet, ad omnia hoc loco » dicta, quae Evangelium non exprimit. »

Ultimum hic exemplum habemus primi praeambuli in mysteriis vitae Jesu ab eo qui tradit Exercitia eadem methodo in posterum adhibendi; qua in re hoc sedulo est attendendum, multa in praeambulo suppeditari, quae ad fructuose meditandum valde juvant. Sic hoc loco, et iter, et itineris causae ac molestiae indicantur, quae sunt ad scopum momenti maximi. Quanti autem praeambula ipse sanctus Pater faciat, ex cura et sollicitudine quam in eis etiam fuse exponendis adhibet, facile comperitur.

Secundum praeambulum, *compositio, videndo locum. Erit hic visu imaginationis videre viam a Nazareth ad Bethleem, considerando (ejus) longitudinem, latitudinem, et an plana sit talis via, vel an per valles, aut clivos : item considerando locum sive speluncam Nativitatis, quam amplus (sit locus), quam exiguus, quam humilis, quam altus, et quomodo erat paratus.*

Mirum est quantum Ignatius ceteroqui verborum tam parcus ad minuta descendat, ubi de compositione loci agitur; videlicet noverat quam saepe non leve negotium imaginatio, nisi omnino occupetur et defigatur, meditanti facessat : pariter noverat quantae utilitatis et affectibus et ipsis discursibus, si fideliter ancilletur, facultas eadem esse possit. Si enim hic primum et secundum praeambulum quis perpenderit, sane inveniet vixnon totam, de qua in secunda Annotatione, declarationem in iis contineri.

Tertium praeambulum erit idem et eadem forma, quae fuit in contemplatione de Incarnatione. Notet vero Director non ita simpliciter praeambulum esse exercitanti indicandum; sed illud totum, cum in eo summa totius rei contineatur, integre enuntiet, nec enuntiet solum, sed et nova quaedam semper afferat, ut et divinae gratiae ad rem tantam necessitas sentiatur, et ardens ac continuo crescens cognitionis, amoris et imitationis desiderium accendatur et inflammetur. *Haec est* enim *vita aeterna.*

Primum punctum (infra inter Mysteria). *Primo, Domina nostra et sponsus ejus Joseph eunt a Nazareth in Bethleem (Ascendit Joseph a Galilaea in Bethleem, ut profiteretur subjectionem*

Caesari, cum Maria desponsata sibi uxore praegnante.)

Notemus iterum, quia id est inculcandum ne perperam ignatiana contemplandi methodus accipiatur, evidentissime hic patere puncta illa personarum, verborum, actionum, non puncta contemplationis constituere, nec ordinem contemplanti praefigere, sed mera esse adjumenta ex quibus scil. materiam depromat exercitans, qua possit in decursu mysterii adjuvari. Si enim ordinem hic esse praescriptum admitteremus, illico jam non ordinem haberemus, sed absurditatem et confusionem, si quidem in decursu primi puncti de personis, natum jam Christum videremus : *postquam natus fuerit,* in tertio vero et ultimo puncto juberemur a Bethleem regredi Nazareth, ut iter repeteremus usque Bethleem.

1. **Causa itineris** : obedientia. Evangelium dicit : *Ascendit autem Joseph a Galilaea de civitate Nazareth in Judaeam in civitatem quae vocatur Bethleem : eo quod esset de domo et familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore praegnante.* Sanctus autem Ignatius, humilitatem semper intendens, cujus forma et filia obedientia est, post verba *ut profiteretur* interponit sequentia : *subjectionem Caesari.* Jam vero obedientia non attendit utrum su-

perior bonus sit an malus, fidelis an infidelis, sed utrum auctoritatem Dei habeat; similiter non reputat an ille qui imperat justa aut culpabili intentione moveatur, nec difficultatem executionis opponit. Porro Caesar Augustus, vir infidelis, ex pecuniae cupiditate et ad sibi de subjectorum sui imperii multitudine gloriandum, edictum promulgaverat, ut *describeretur universus orbis*. Statim igitur, ut obedientiam praestet, non obstantibus viae longitudine, fatigatione, statu praegnationis in finem vergentis, Maria, solam Dei voluntatem considerans, itineri cum S. Joseph se accingit. Sic cum humilitate et sine ratiocinio qui sequuntur Christum et ex fide vivunt, obedientiam praestant. Christus incarnatus cum Matre obedit Patri, qui hominum consilia in divina sua consilia deflectit. Atque haec subjectio et humilitas erga infidelem creaturam, in eo qui est Verbum Dei multo mirabilior est : « Ego, ait Jesus (in lib. Th. K.), factus » sum omnium humillimus et infimus, ut » tuam superbiam mea humilitate vinceres. » Disce te humiliare, terra et limus, et sub » omnium pedibus incurvare. Exardesce con- » tra te, nec patiaris tumorem in te vive- » re... Quid, sordide peccator, potes con- » tradicere exprobrantibus tibi, qui toties

» Deum offendisti et infernum multoties me-
» ruisti? »

2. **Iter in Bethleem.** Sicut humilitas mater est obedientiae, ita humilitatis mater paupertas est. Ideoque, S. Ignatius, verus humilitatis filius dicit fratribus suis : « Diligant paupertatem ut matrem : » Hujus virtutis praeclarum hic nobis Jesus, Maria et Joseph praebent exemplum.

Contemplare relinquentes domum Nazarethanam Mariam et Joseph, cum vili suo comitatu, asina, bove et ancilla. Paupere, more operariorum, vestiuntur, atque in itinere ab omnibus despiciuntur. Intuere futuram caeli Reginam, exterius despicabilem, sed quam intus puram, humilem, modestam, Deo unitam! intuere animam ejus exinanitam prae humilitate, et Seraphicis in Jesum, quem intus portat, flammis ardentem; intuere et purissimum, ac simplicissimum sponsum ejus Joseph. Quanta et in eo erga Jesum, ejusque Matrem reverentia, amor et devotio! Illis te adjunge cum magna humilitate, devotione et amore; eos respice, et audi quae loquantur, et multo magis sanctum eorum in itinere silentium; toti enim in divinum Mysterium rapiuntur, nec nisi verba aut necessitatis, aut charitatis, aut Dei laudis proferunt. Ideo S.

P. de verbis eorum agens, non sine consilio voces aggerit : — *attendere, advertere et contemplari quae personae dicunt; et reflectendo in meipsum fructum aliquem capere.* Utinam et ego Dei praesentis semper memor, et maxime coram Jesu in SS. Sacramento praesente, silentium illud, aut verborum reverentiam ac sanctitatem servarem!

Contemplare itinerantis S. Familiae paupertatem, egestatem, contemptum, dolores et fatigationem. Compara vestitum tuum, cibum, lectum, cum lecto, cibo et vestitu eorum, et erubesce. Ita disposuit omnia erga praedilectos suos Joseph et Mariam Deus, dum impios ditescere sinit non raro, suos autem egere et contemni permittit.

Admirabile illud quidem lumen Christi Jesu, ex quo plurima millium millia virorum et feminarum venditas opes dabunt egenis, ut cum pauperibus Jesu, Maria et Joseph omnimodam paupertatem amplectantur.

Contemplare Sanctam familiam sumentem in itinere refectionem ad necessariam corporis sustentationem, et laudantes Deum; quo autem parciorem ac viliorem cibum sumunt strictiusque duriore vita premuntur, eo etiam magis caelestibus gaudiis reficiuntur. Illos ego, quo pauperiores sunt, eo teneriore affectu amabo.

3. **Adventus in Bethleem.** Quantus hic et quam durus ex paupertate contemptus! Quaerit S. Joseph, pro munere suo, hospitium. At divitibus utique, qui plures ea occasione expectabantur, erat locus, pauperibus nequaquam. *Non erat eis locus in diversorio.* Dura illa repulsa profecto contrivit cor boni Joseph propter Jesum et Mariam; sed divinae voluntati cum amore et sanctorum Dei consiliorum admiratione obtemperantes ad aliud et iterum ad aliud hospitium divertunt; nec juvante humili S. Joseph pro praegnante uxore supplicatione, cum eadem duritie eodemque contemptu expelluntur, neque in tugurio quidem locus eis commodatur. Ecce, si quis Bethleemita aliquid charitatis habuisset, in domo ejus natus esset Salvator mundi et Rex caelorum! Aperuissent sane si caelestes novissent hospites; sed *justus meus ex fide vivit,* ait Dominus, atque in paupere, qui imago Dei est, Deus ipse videri et juvari debet : *Amen, dico vobis : Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis mihi fecistis* (Matt. 25,40).

Ab omnibus igitur omnino diversoriis expulsi cum Jesu, Joseph et Maria, nullam inde movent querelam, sed magna potius lumina Spiritus Jesu circa paupertatem, contemptum, adversitates concipiunt, et in tribulatione

pacem illam quae exsuperat omnem sensum possident. *Beati* enim *qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (MATT. 5, 5).

Postquam ergo ad extremam civitatis partem pervenit S. Joseph, ecce obviam habet stabulum seu speluncam, in quam, si saeviret tempestas, vicini pastores cum grege suo confugiebant. Hunc ubi nasceretur locum sibi Christus elegerat, non domum hominum, sed bestiarum habitaculum; perditum quippe genus humanum ibi quaerens, ubi per ignorantiam et morum corruptelam devenerat : *Homo, cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* (Ps. 48, 13).

Sic igitur Filius Dei, quod est in mundo pauperrimum et vilissimum sibi eligens, *humiliavit semetipsum;* dumque in domibus pauperrimi et abjectissimi filii hominum nascuntur, Filius Dei, Salvator mundi, Sanctus Sanctorum, nascitur in stabulo, postmodum dicturus : *Ego sum via, veritas et vita.* (Jo. 14. 6). *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae* (Jo. 8, 12).

Secundum punctum. — *Peperit Filium suum primogenitum, et reclinavit eum in praesepio.)*

Contemplare quo in statu stabulum illud invenerint; quod, cum nullius esset, a nullo

etiam curabatur. Ibi viles ac foedae paleae, ibi lutum, ibi pulvis, ibi sordes; en et ibi jam B. Virgo foeni et palearum particulas eligit ut nidulum Jesulo suo componat; ponit et pauperes pannos, quos cum amore paratos secum attulit. Haec an otiose spectabis? Te ut *pauperculum et servulum indignum exhibe, spectando* Mariam et Joseph ita laborantes; *servi illis in suis necessitatibus, ac si praesens adesses, cum omni possibili obsequio (s. humilitate, devotione) ac reverentia; ac dein reflecte in teipsum, ad capiendum aliquem fructum.* Paupertatem istam, si praesertim personarum dignitatem attendes, prae omnibus quae in palatiis regum oculis fulgent admiraberis.

Media nocte, cum silerent omnia, die vigesima quinta decembris, Beatissima Virgo, permanens virgo, Servatorem mundi et Filium Dei, quem conceperat a Spiritu sancto, non solum sine dolore, sed cum divino gaudio et modo omnino miraculoso, huic mundo peperit.

Contemplare Infantulum quem cum humillima adoratione et seraphico amore complectitur Mater; personas contemplare et ecstasis silentium. Intuere omnes actus B. Virginis Filiolum pannis involventis ac in praesepio reclinantis. Respice et adora cum Maria, cum

Joseph et ancilla, Dominum tuum, qui pro te factus est homo, qui pro te nascitur in stabulo, qui pro te in vili praesepio super miseram paleam jacet. Verba sunt S. Patris profundissimo sensu et eximio amore plena : *Spectare et considerare ea quae faciunt personae, ut est...* ut *Dominus* nascatur *in summa paupertate, et post tot labores, post famem, post sitim, post aestum et frigus, post injurias et contumelias, ut (tandem) moriatur in cruce, et omnia haec* PROPTER ME. *Deinde reflectendo capere aliquem fructum spiritualem.* Nota in enumeratione repetitionem praepositionis *post,* ut non in globo haec accipiantur, sed ut singulis insistatur : in fine autem verbis illis *et omnia haec propter me* quasi malleo tunditur ac scinditur cor, ut ex eo vehemens in Christum erumpat amor; quo erubescam nisi similia reddam illi qui *propter me* tanta passus est. Amori autem Divino maxime reddendum erit illud quod ultimo loco pro coronide ponitur, id scilicet quod in contemplatione de regno Christi, Domino Jesu tam solemniter promisit exercitans : *Imitari te in ferendis omnibus injuriis et omni vituperio;* quod quidem *per actualem paupertatem* fiet :

Quam apta illa sunt ad triplicem gratiam obtinendam, quae in tertio praeambulo peti-

tur, scil. primo cognitionem intimam Domini mei, qui *pro me factus est homo,* ut per paupertatem, per opprobria, per crucem me servaret, ac mihi viam salutis ostenderet! Dein quid aptius est ad magnum amorem erga Jesum excitandum, et ad inflammandum vehemens ipsum tandem ex amore imitandi desiderium? Quomodo autem quis poterit dicere se de societate et familia Jesu esse, nisi et ipse insignia Jesu, Mariae et Joseph qui primam in stabulo Bethleemitico societatem Jesu constituerunt, toto corde ambiat? Altera quidem Jesu societas fuit pauperum ac contemptibilium Apostolorum; tertia vero in monte Calvario tantae fuit ignominiae, ut nec Apostoli, praeter eum *quem diligebat Jesus*, eam sustinere potuerint.

Tertium punctum. — *(Facta est multitudo militiae caelestis, dicentium : Gloria in altissimis Deo.* Quare hic Sanctus Pater apparitionem factam pastoribus in duas partes scindens, posteriorem partem in hac contemplatione proponens, priorem quae tam admirabilis est in contemplationem de pastoribus ad libitum faciendam reservat? Quia videlicet prior illa pars ad gaudium excitandum nata est, quo anima sancte exhilaretur; posterior vero ad fructum solidiorem ac pretiosiorem maxime

que scopo S. Fundatoris convenientem procurandum dirigitur, nempe ad amorem opprobriorum, per quae multo magis quam per gaudia et consolationes, gloria Dei et procuratur et reparatur.

Contemplare magnificum illud ac caeleste spectaculum. Propheta enim dixerat : *Et erit lux magna*; et ecce mediae noctis tenebrae mutantur in diem et caelestibus irradiant fulgoribus; quibus in fulgoribus, non jam unus Angelus sed multitudo caelestis exercitus ita resplendet, ut tota Angelorum curia deserto caelo descendisse videatur : Quo autem descendit? super stabulum. Per humilitatem quippe et opprobria reparatur divina gloria mundoque salus affulget. Per eadem, nec per alia, ad finem usque mundi, veri Christi Apostoli verique animarum Pastores efficacem in Apostolatu navabunt operam.

Finem contemplationi imponendum esse colloquio sicut in praecedenti contemplatione, et oratione : *Pater noster,* non tantum exercitanti dicat Director, sed ipse praecedens colloquium repetat, inculcetque ea quae ad scopum ab Ignatio intentum spectant, nimirum amorem et imitationem Christi.

Tertia contemplatio *erit repetitio primi et secundi exercitii.*

Post orationem praeparatoriam, ita S. P. et tria praeambula, fiet repetitio primi et secundi Exercitii, notando semper aliquas partes magis praecipuas, in quibus senserit quis aliquam cognitionem, consolationem vel desolationem, faciendo similiter colloquium in fine, et (recitando) Pater noster.

Nota verba *senserit cognitionem* nullo modo idem sonare ac *habuerit cognitionem;* haec enim sine contemplatione, immo et sine fructu, cognitio haberi potest; sentire autem cognitionem, idem dicit ac obtinere per lumen et unctionem Spiritus Sancti cognitionem illam quam in tertio praeambulo vocat S. P. N. *intimam*, quaeque sola ad amorem ducit et ad imitationem.

Porro in hac repetitione et in omnibus sequentibus idem servabitur ordo procedendi, qui servabatur in repetitionibus primae hebdomadae, mutando materiam, formam autem retinendo.

Quarta contemplatio *erit repetitio primae et secundae eodem modo quo facta est in supradicta (praecedenti) repetitione.*

Quinta contemplatio *erit trahere (applicare) quinque sensus ad primam et secundam contemplationem.*

Post orationem praeparatoriam, et tria prae-

ambula, prodest discursus (applicatio) quinque sensuum imaginationis per (s. ad) primam et secundam contemplationem modo sequenti.

Ut patet ex ipso nomine, applicatio *sensuum* a meditatione, immo et a ceteris contemplationibus differt, quae sine meditatione non fiunt. Etenim, ut verbis S. P. utamur, trahuntur in meditatione tres animae facultates, memoria, intellectus et voluntas. « Differt » autem, ait Directorium applicatio ista sen- » suum a meditatione, quoniam meditatio est » magis intellectualis, et magis versatur in » ratiocinatione, et omnino est altior; dis- » currit enim per causas Mysteriorum, et ef- » fecta, et in eis investigat attributa Dei, ut » bonitatem, sapientiam, charitatem, et reli- » qua. Ast vero applicatio sensuum non dis- » currit, sed tantum inhaeret illis sensibili- » bus; est in aspectu et auditu, et reliquis » ejusmodi, quibus fruitur et delectatur cum » profectu spirituali. » Applicabat sensus B. Maria Magdalene, cum, sive in Bethania, sive juxta crucem, sive in Christi redivivi apparitione, secus pedes Domini manebat silentio; item Joannes cum in ultima caena supra pectus Jesu recumbebat, item Stanislaus cum in ulnis Jesulum amplectens eum dissuavabatur.

Prodest discursus sensuum, ait S. P.; quod ita explicat Directorium : « Est autem duplex » ejus utilitas : interdum enim cum anima » non potest profundiora speculari, dum in » his immoratur, paulatim disponitur et ele- » vatur ad illa altiora. Interdum autem con- » tra, anima jam impinguata, fervens devo- » tione ex cognitione illorum Mysteriorum » altiorum, descendens deinde ad haec sensi- » bilia, in omnibus invenit pastum, et conso- » lationem, et fructum ex abundantia amoris, » qui facit ut minima quaeque, ac vel ipsi » nutus, magnifiant, et materiam amoris et » consolationis praebeant. »

Sic Ignatius totum hominem aggrediens, ut totum eum spiritualem et supernaturalem efficiat, ante omnia et super omnia primas intellectui et voluntati partes attribuit; probe scil. gnarus instabiles ac plerumque inanes futuros affectus, nisi et profundae intellectus convictioni et voluntatis robori inniterentur. Verumtamen affectus, etsi mere sensibiles, minime putabat esse negligendos, utpote qui saepe saepius intellectum ipsum ac voluntatem in deteriora inclinent, nisi et ipsi ad caelestia assurgant et in spiritualibus delectentur. Sed ita iis extremum locum assignat, ut ad sensus non ante descendatur, quam anima et penitus

illuminata fuerit et spiritu impinguata. Quum enim applicatio ista sensuum eo tendere debeat, juxta mentem S. Patris, ut consolatione etiam sensibili illa recreetur exercitans, quae in regulis de discr. spir. dicitur *cum causa praecedente,* nimirum ex intellectus discursu et motione voluntatis; fieri quippe non posset ut ante serias diei meditationes et contemplationes, aptus esset exercitans ad illam sensuum applicationem.

Ex tertio et quarto clare apparet hanc esse mentem S. Ignatii ut personae sanctae considerentur non exterius tantum, sed et interius, cum omnibus earum circumstantiis; personae autem nequaquam sunt omnes considerandae, sed illae tantum directe assumendae quae aedificationi sunt; perversae autem indirecte tantum, scil. in quantum Sanctorum excellentiam, virtutes, amabilitatem per oppositionem illustrant. Super omnes vero Jesum contempletur exercitans, ut in eum totus amore rapiatur. In quo igitur differat contemplatio personarum in primo et secundo diei exercitio ab ea quae fit in applicatione sensuum, jam indicandum est. In prioribus ergo intellectus et voluntas cum labore ad imitationem exercentur; in posteriore autem, devictis difficultatibus, suaviore jam et faciliore applica-

tione exercitans se magis intime imbuit contemplationum fructu, in amore conquiescit ac delectatur, bonisque totius diei sensibus totus penetratur.

Unicum applicationis sensuum exemplar tradit S. P. pro secunda hebdomada et sequentibus, quod profecto sufficit; nam tradita methodo, cetera, decurrendo factas jam contemplationes, quasi sponte occurrunt.

Primum punctum *est,* videre *personas visu imaginationis, meditando et contemplando in particulari circumstantias earum, et capiendo aliquem fructum ex (hujusmodi) visione.*

Videre; non dicitur hic : *considerare,* quod conatum et laborem supponit. — *Meditando et contemplando personas,* non quidem absolute, ut fit in meditatione proprie dicta et in ordinariis contemplationibus, sed *circumstantias earum;* atque haec quidem praesens meditatio in applicatione sensuum facienda respicit maxime interiores sensus ac virtutes personarum, atque inhabitantem in Christo Divinitatem; contemplatio autem potius ea quae oculis corporis cerni possunt. — Nota insuper, postquam in ceteris contemplationibus dixit S. P. : *fructum capere,* quia ibi proprius et totus fructus erat colligendus, hic solum praescribi : *capere inde aliquem fructum,* cum

suavitate. Sic agricola, ubi tempus messis adest, omnes omnino fructus ex arboribus decerpit, ut in horreum eos reponens inde ditescat; qui vero in horto arboribus consito, sive ad defatigationem, sive ad delectationem ambulat, modo hunc, modo illum fructum colligit ac degustat.

Contemplare igitur personas, et maxime Christum Jesum Dominum nostrum, in cujus persona majestas tanta, tanta amabilitas erat, ut, sicut magnes attrahens sibi copulat ferra, ita non parvulos solum, ubicumque in publicum procederet, secum gestientes haberet, sed et ingentes hominum multitudines sibi devinciens, eas ad se sic attraheret, ut sine cibo non ad unam, sed ad plures dies sequerentur eum in desertum. *Misereor super turbam, ecce jam triduo sustinent me; si dimisero eos jejunos, deficient in via* (Marc. 6, 34). Quid vero de ejus divinitate dicendum, quae pro dispositione personarum plus vel minus in sacra ipsa ejus humanitate effulgebat? Quid de divina virtutum et affectuum ejus *meditando* exercitans in variis mysteriis non inveniet!

Quid, v. g. caelestis suavitatis non sentiet, si in contemplatione de Nativitate videat non tantum speciosum prae filiis hominum infantem Deum, sed et, ut ait Ignatius *circumstan-*

tias personae illius in particulari in applicatione sensuum contempletur : frigus, pannos, paleam, praesepe, stabulum, animalia, et praesertim divam Matrem et S. Joseph? Idem dicendum de omnibus sive vitae, sive passionis, sive resurrectionis mysteriis. Quanta inde, quam caelestis dulcedo ei qui, bene purgata anima, incipit intime cognoscere et amare Jesum!

Secundum punctum, *audire auditu ea quae loquuntur, vel loqui possunt, et reflectendo in seipsum, capere inde aliquem fructum.*

Audire auditu, tam vivida scilicet repraesentatione, ac si ipsarum personarum verba auribus corporis exciperet. — *Vel loqui possunt;* hoc ad internas cogitationes atque affectus pertinet; ea autem *meditando,* immo et exteriora contemplando, quasi audiet exercitans, magnasque in ea re inveniet divitias. — Iterum : *aliquem fructum* dicit S. P.

Audire auditu; scil. non simpliciter auribus corporis aut etiam intellectus audire, sed auditu interno, qui solus habet efficaciam : jam vero sic audiri non possunt, nisi cum sonant auribus verba Dei intus animae loquentis. *Ducam eam in solitudinem et loquar ad cor ejus.* Quae nisi aderit interna ad cor locutio, ipsa etiam sacrae Scripturae verba erunt *sicut aes*

sonans, aut cymbalum tinniens, scilicet sonus aures tantum exterius verberans. Qua de re disserens ait Thom. Kemp. « si scires totam » bibliam exterius, et omnium philosophorum » dicta, quid totum prodesset sine charitate » et gratia? » Alibi autem : « Beatae plane » aures, quae non vocem foris sonantem, sed » intus auscultant veritatem docentem. » Quod vero tempus ad hanc internam Dei locutionem audiendam aptius est, quam haec sacra Exercitiorum solitudo? Audi iterum Thom. Kemp. : « Quod non intelligis, cum legis, » cognosces in die visitationis. » *Sermo Dei vivus et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti* (Heb. 4, 12). *Vivus est,* sed cum semen sit, non fecundatur nec vitam dat, nisi bonae terrae insitum fuerit; sermo Dei *gladius* est sed, qui non penetrat, nisi cum e vagina educitur. Unde fit, ut ordinariis temporibus integrum, vel sacrae Scripturae, vel libri Imitationis caput legas, quin inde accendaris aut illumineris, in sacro autem secessu brevi verbulo ad magnam animae motionem efficaciter pertraharis, nisi ex eo quod, ubi, cum anima rite purgata, in verum Dei consortium ingressus es, verbum non jam verbum libri, sed vivum Dei animae tuae vere intus loquentis *verbum* est.

Audi igitur auditu interno Christum, Deum tuum, veritatem aeternam tibi actu nunc dicentem, quam olim inter homines vivens locutus est; audi eum cum magna simplicitate et humilitate; dumque audis, ipsummet quasi praesentem et ardentem tui amatorem respice et contemplare, sicut contemplabantur et B. Virgo et sancti Apostoli. « Beata anima, ait » Th. Kemp., quae Dominum *in se* loquen- » tem audit, et *de ore* ejus consolationis ver- » bum accipit. »

Non autem in applicatione sensuum, sicut in aliis contemplationibus et in meditatione, cum labore et perscrutatione discursuum verba Christi sunt pertractanda, sed cum pacifica amantium suavitate : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo* (Ps. 118, 103). Sic enim perficitur affectibus quod laboriose in contemplationibus confectum est; sic sentiendo et gustando res interne, satiatur anima. (2ª annot).

Tertium punctum, *odorare et gustare olfactu et gustu infinitam suavitatem ac dulcedinem Divinitatis, animae ejusque virtutum, et ceterarum rerum, juxta rationem personae quam contemplamur, reflectendo in seipsum et capiendo in me fructum.*

Cum gustus et odoratus in eo conveniant

quod similem et delectationis et amoris spiritualis, ut ait R. P. Roothaan, affectum excitent, cumque praeterea sensus odoratus per divinae Providentiae dispositionem, quasi excubitoris vices agat, ne quid per gustum mortem aut morbum afferat, utrumque sensum uno puncto S. P. conclusit.

Addit R. P. Roothaan utrumque hunc sensum odoratus et gustus parere etiam posse affectum delectationi contrarium : « horroris » scilicet, aversionis, nauseae et odii : pos- » sent enim hi sensus non ad sancta modo » applicari, sed etiam ad contraria, ut si in » praesenti materia ad *mundum,* hominesque » mundanos, eorumque scelerum poenas ad- » moveantur, foetoris scilicet et amaritudinis » sensus percipiatur necesse est. » In hoc nihilominus tertio puncto applicationis sensuum de sola dulcedine et suavitate Divinitatis, etc. tractat Ignatius. In his enim sensuum applicationibus anima, quasi certamine et Christi hostibus relictis, seorsum cum divino Servatore et amicis ejus, paululum requiescit atque in amore Jesu colliquescit. *Trahe me : post te curremus in odorem unguentorum tuorum. Introduxit me rex in cellaria sua : exultabimus et lactabimur in te* (Cant. 1, 3). Quam amplam hic inveniet quis caelestis delectationis materiam, si *suavi-*

tatem et *dulcedinem* tum divinitatis Jesu, tum animae ejus sanctissimae, tum amantissimi ejus Cordis, ejusdemque virtutum humilitatis, charitatis, modestiae, patientiae, abnegationis, etc. contempletur ac degustet.

Reflectendo in se ipsum, et capiendo inde fructum : scilicet ad imitandum Christum. Jam enim per ipsas sensibiles illecebras suavius allicit exercitantem S. P.; neque in hoc puncto *aliquem* tantum fructum poscit, sed absolute *fructum;* nam tanta hic est personae Jesu illecebra, tanta virtutum ejus suavitas, ut nil quod ad ejus imitationem pertineat, non placere et inviete movere possit.

Quartum punctum, *tangere tactu, ut, v. g., amplexari et osculari loca ubi tales personae vestigia ponunt, et sedent; semper procurando fructum inde capere.*

Haec tactus applicatio supponit exercitantem pervenisse jam ad magnum fervorem, ad tenerum amorem erga Christum Jesum, et inde ad genuinam in tota sua cogitandi et sentiendi ratione simplicitatem : *cum simplicibus sermocinatio ejus*. Nam superbi iique omnes qui seipsos aestimant ac suum proprium ingenium magnifaciunt, sanctae hujus et humilis familiaritatis sunt penitus incapaces.

Amplexari frequentius quid et multo affec-

tuosius exprimit, quam *amplecti* simpliciter. Quid autem ita amplexari et osculari permittit S. P.? Non ipsum sacratissimum Christi aut B. Virginis corpus, sed loca tantum ubi tales personae *vestigia* ponunt. Quo pacto iterum evidentius apparet quam necessariam super omnia esse reverentiam et humilitatem in tota nostra cum Deo communicatione existimaret. Et re quidem vera infinitae Dei magnitudinis et perfectionis, simulque nostri nihili peccatorumque nostrorum cognitio, magnam parit Dei aestimationem, magnumque nostri ipsius contemptum; hinc insignis oritur erga Deum reverentia; ex reverentia vero amor; qui, ubi purus et magnus habetur, semper pro fundamento habet aestimationem et reverentiam.

Paucis admodum alia praeter vestigia amplexari et osculari conceditur, iis scilicet quos utpote sibi praedilectos invitat divinus Sponsus. Sic invitata est prae ceteris Sanctis et Angelis Beatissima Virgo, de qua potissimum dicitur : *Osculetur me osculo oris sui* (Cant. 1, 1), et : *Laeva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me* (Cant, 2. 6). *Quae est ista quae adscendit de deserto, innixa super dilectum suum* (Cant, 8. 5)? Post eam id imprimis, sed inferiori gradu, S. Josepho, immo et S. Joanni,

qui *supra pectus Domini* in caena recubuit concessum est; sequentibus vero saeculis et quibusdam Sanctis puritate et amore eximiis, ut S. Antonio de Padua, Francisco Assisiensi, Aloysio, Stanislao, Teresiae, etc. similia attributa sunt; sed neminem, ne matrem quidem suam, a summa erga suam divinitatem reverentia exemit Jesus; cujus rei documentum nobis praebuit, quando primo post resurrectionem suam Mariae Magdalenae apparens, illam osculari pedes suos volentem cohibuit, ut reverentiam nos doceret : *Noli me tangere* (Jo, 20, 17) : breve autem post intervallum, praemissa jam illa monitione, hoc ei, sicut et ceteris mulieribus concessit : *illae autem accesserunt, et tenuerunt pedes ejus et* ADORAVERUNT *eum* (MATT. 28, 9).

At quanto majora nobis Jesus in sanctissimo Cordis et amoris sui Sacramento, maxime sacerdotibus, concessit! O si ardentem fidem haberemus! Si sciremus donum Dei! Jesum non quidem oculis corporis, sed oculo fidei intuemur, ut insigne fidei nostrae testimonium dare Deo possimus et multo majora merita colligere. Hinc : *Beati qui non viderunt, et crediderunt* (Jo, 20, 10) : « Quot nunc dicunt, » ait Chrysostomus, vellem illius formam as- » picere, figuram, vestimenta, calceamenta!

» Ecce eum vides, ipsum tangis, ipsum man-
» ducas. Et tu quidem vestimenta cupis vi-
» dere : ipse vero tibi concedit non tantum
» videre, verum et manducare, et tangere, et
» intra te sumere. »

Terminandum est (Exercitium) colloquio, ut in prima et secunda contemplatione, et recitando semel Pater noster.

N. B. — Antequam ad secundam diem accedamus, aliquid est hic praenotandum. Ubi nempe tenendam methodum in contemplationibus de Incarnatione et Nativitate descripsit S. P., Instructori committit, ut et praeambula, et puncta, tum in corpore, tum ad calcem Libelli posita, pro capacitate et dispositione subjecti, quantum necesse est, declaret. Illius etiam erit videre, num unum tantum singulis diebus mysterium cum repetitionibus, an duo vel etiam tria cum una repetitione debeat proponere. Ultimum autem Exercitium semper erit applicatio sensuum circa diei Mysteria. Sic enim postquam matutinis ac firmis viribus nova aggressus est exercitans, fatigationem praevertunt repetitiones, eam autem in fine lenit applicatio sensuum.

Demum, ut is qui tradit Exercitia Mysteria omnia ad manum habeat, illa etiam quae ad

calcem tantum Libelli jacent, secundae hebdomadae inserimus.

Monitiones, ac Mutationes

in additionibus, pro secunda hebdomada

Ex his quae primo aspectu minimae videntur, mutationibus, iterum apparet quantum in additionibus, ad intentum finem, momentum sanctus Pater poneret.

Prima nota. — *Advertendum est pro* tota *hac hebdomada, et ceteris sequentibus, quod solum debeo legere Mysterium contemplationis, quam immediate facturus sum : ita ut pro tunc nullum legam Mysterium quod illa die, vel illa hora non facturus (contemplaturus) sim : ne consideratio unius Mysterii impediat considerationem alterius.* Si enim ex curiositate sequentia Mysteria praelegerentur, ante tempus deflorarentur, atque eorum fructus magna ex parte periret.

Legere : versionem vulgatam hic incusans, quae addit : *aut cogitare,* hanc notam rite subjicit R. P. Roothaan : « Versio vulgata » habet : legere vel cogitare, quod ultimum » abest in autographo. Merito quidem. Et » vero infra, in quarto ex Notandis, ubi addi- » tionis sextae mutatio facienda praescribitur,

» non ita restringitur cogitatio exercitantis. » Praeterquam quod in variis actionibus per » diem faciendis necessario alia etiam Myste- » ria identidem cogitanda sunt, ut in Sacro, » in Horarum canonicarum recitatione, etc. »

Secunda (nota). — *Primum Exercitium de Incarnatione fiet media nocte; secundum, in Aurora; tertium ad horam Missae; quartum, ad horam Vesperarum; et quintum ante horam caenandi : perdurando spatium unius horae in quovis ex his quinque Exercitiis; atque idem ordo servabitur in omnibus sequentibus.* Nonnunquam tamen admitti sequens poterit exceptio.

Tertia (nota). — *Advertendum est, quod, si qui facit Exercitia sit senex, vel debilis; vel, etiamsi robustus, si ex prima hebdomada remanserit aliquo modo debilis, melius est, ut in hac secunda hebdomada saltem aliquoties, non surgendo media nocte, faciat primo mane unam contemplationem, et alteram ad horam Missae et alteram ad horam Vesperarum, et postea applicationem sensuum ante caenam.*

Plura hic notanda veniunt : 1. Vult S. P. ut a secunda die, nisi ipsum exercitantis bonum contrarium postulet, quemadmodum infra dicetur, quinque, non quatuor, Exercitia quotidie fiant. 2. Nullo die eum ab applicatione sensuum eximit 3. Non unum aut duo

tantum sed etiam tria nova et distincta Exercitia tradi poterunt, modo circa illa una repetitio fiat ad horam Vesperarum. Iterumque hic apparet quanta, methodo semel exposita, directori committantur.

Quarta (nota). *In hac secunda hebdomada, in omnibus decem additionibus, quae dictae sunt in prima hebdomada, mutari debent secunda, sexta, septima, et ex parte decima.*

In secunda erit (mutatio), statim ut excitatus fuero, ponere mihi ob oculos contemplationem quam facturus sum, desiderando magis cognoscere Verbum aeternum incarnatum, ut magis illi serviam et (magis illud) sequar.

Dicit quidem non *Christum Dominum,* sed *Verbum aeternum incarnatum.* Quae appellatio incentivo illo amoris respondet, quod in tertio praeambulo exprimitur : *Dominum, qui pro me factus est homo.* Hoc nimirum sensu tota hac die plenus fuit exercitans.

Nec dicit hic S. P. *ut magis illum amem,* sed ad solida et practica impellens, *ut magis illi serviam,* scil., ut, cum aeternum Dei Verbum ita se pro me exinaniverit, suscipiens et ego ipse formam servi, illi ex amore et cum magna humilitate serviam.

Et sexta (Additio) erit, frequenter in memoriam reducere Vitam, et Mysteria Christi Domini nos-

tri, incipiendo ab ejus Incarnatione usque ad locum seu Mysterium in cujus contemplatione versor.

Non dicit *semper,* quia inde contentio talis oriretur, ut in iis qui valde fideles omnibus praescriptionibus esse vellent, caput laederetur, sed *frequenter;* sic fiet ut exercitans, sicut Apostoli, vere cum Christo vivat et ambulet, non ad alia divertens, ne sequentia Mysteria praeeundo defloret. Ab hujus additionis observatione fructum Exercitiorum S. Ignatii multum dependere intelligant et Director et is cui traduntur Exercitia.

Et septima (additio) erit, ut qui exercetur, eatenus curet tenere obscuritatem vel claritatem, et uti amoeno tempore vel diverso, quatenus senserit sibi posse prodesse et juvare, ad inveniendum id quod desiderat. Non igitur se et Deum, sed Deum, non suam naturalem satisfactionem simul et Dei gloriam quaerat, sed solam Dei gloriam majoremque suum profectum spiritualem, ut nimirum executioni mandentur quae in capite Fundamenti Exercitiorum sunt posita.

Et in decima Additione, ille qui exercetur debet se habere juxta Mysteria quae contemplatur : quia quaedam postulant poenitentiam, et alia non. Ita ut fiant (serventur) omnes decem Additiones cum multa cura (diligentia et circumspectione). Profecto si a scrupulosa additionum observa-

tione omnis Exercitiorum fructus penderet, minime aliter loqueretur S. P.

Quinta (nota). *In omnibus Exercitiis, praeterquam in illis quae media nocte et in aurora (fiunt) assumetur (aliquid) quod aequivaleat secundae Additioni, modo qui sequitur. Statim ut recordabor adesse horam Exercitii, quod facere debeo, antequam vadam (ad illud), ob oculos mihi ponens (ponam) quo vadam, et coram quo, resumens (resumam) paululum Exercitium quod facturus sum, et postea, faciens tertiam Additionem, intrabo in Exercitium.*

Sic monitioni Spiritus Sancti obaudiemus : *Ante orationem praepara animam tuam, et noli esse quasi homo qui tentat Deum* (Eccli. 18, 23). 1. *Quo vadam,* scil. ad meditationem seu contemplationem, rem valde seriam; et *coram quo,* coram Deo Domino nostro : quid enim sublimius quam ut coram infinita Majestate appareamus, et cum ea tractemus? Quid felicius et optabilius? Ast cum tantus sit Deus et ego tam pusillus et miser peccator, requiritur ut me colligam et componam. *Resumens paululum,* ut revocem mihi in memoriam materiam parati ante exercitii. Haec tria faciunt quicumque Principem aliquem adeunt a quo quicquam obtineant. Utinam et haec ante omnia Exercitia nostra spiritualia, ante meditationem, examina, SS. Missae Sacrifi-

cium, S. Communionem, Visitationes SSmi, horas canonicas, Viam crucis, Litanias et preces quascumque, etiam breviores, faceremus! Immo quantum prodessent eadem illa tria ante omne aliud etiam opus, ut scilicet omnia bene, sapienter, in divina praesentia, et cum pura intentione divini servitii operemur, secundum illud : *Ambula coram me, et esto perfectus* (Gen. 17, 1).

Secunda dies

PRIMUM EXERCITIUM

De Pastoribus

SCRIBIT LUC., C. II

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia, erit hic, quomodo, in ipsa nocte Nativitatis Pastoribus vigilantibus Angelus apparuit, eis mysterium Nativitatis Christi Domini annuntians : signa autem dedit quibus eum invenirent et agnoscerent. Iverunt ergo pastores, et in stabulo Mariam, Joseph et Infantem invenerunt, quem uti Messiam adoraverunt; reversi autem sunt laudantes et glorificantes Deum.

Secundum praeambulum, compositio loci,

erit hic videre agrum, in quo vigilant pastores cum grege suo; item viam quae ducit ad stabulum, et stabulum ipsum.

Tertium praeambulum, idem ac pro Incarnatione.

Primum punctum. — *Primo, ait S. P., Nativitas Christi Domini nostri manifestatur Pastoribus per Angelum. (Evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator).*

Lucas ait : *Et pastores erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce Angelus Dei stetit juxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos, et timuerunt timore magno.*

In eadem regione, id est in pascuis quibus nomen est *Turris Eder,* distantibus a Bethleem uno milliario.

Non sine Mysterio, nec sine allegoria et sine latente intentione pastoribus pauperibus, humilibus, simplicibus, laborantibus et vigilantibus, prae ceteris omnibus primum manifestari voluit Ille qui et futurus erat omnium gentium bonus Pastor, agnus pro salute mundi immolandus, ovis ad occisionem ducendus; qui et vigilantes pastores seu episcopos super oves suas et agnos erat praefecturus. Pauperes, humiles, simplices, laborantes elegit Ille qui paupertatem et abjectionem amat

ac sibi eam in stabulo a sua nativitate desponsavit : qui cum simplicibus sermocinari delectatur, et fuit in laboribus a juventute sua. Qua ex re disce quinam sint praedilecti Jesu, et quantum sis ipse dilectus.

Contemplare in agro illo tres pastores more pauperum vestitos, eosdemque propter suam innocentiam ac simplicitatem amabiles, gregi suo invigilantes. *Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos, et timuerunt timore magno.* Regibus Magis stella apparebit; pauperibus apparet Angelus, et quam caelesti cum apparatu! Regibus stella fulsit, claritas autem ipsa Dei pastores circumfulsit, ita ut non jam in nocte sed in splendore diei essent.

Et timuerunt timore magno. Timor ille, et si magnus, terror non fuit; erat enim ex percellenti quidem, sed et jucundissimo lumine ortus. Sic antequam cum creatura sua Creator universorum amice et familiariter communicet, intimum atque ad medullam penetrantem infinitae suae magnitudinis sensum ei incutit; atque, ut suae familiaritatis conditionem, profundissimam sive internam sive externam exigit ab ea in oratione reverentiam; ubi autem haec reverentia adfuerit, nil amplius impediet quominus ad cor Deus delectabiliter

loquatur. Ad hoc S. P. tot signa reverentiae in suis Additionibus exercitanti proponit.

Praecessit timor et reverentia, at ecce jam timor dimittitur, non reverentia. *Et dixit illis Angelus : Nolite timere : ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo; quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David.* Timori magno magnum succedit gaudium; *Ecce,* per se haec vox in ore Angeli magnum quid annuntiat. *Natus est vobis*, vobis pastoribus pauperibus et simplicibus et omnibus de populo, Salvator. Quod autem *Salvator* hic ille sit qui ab initio promissus est, et tamdiu expectatus, expressissimis verbis ab Angelo declaratur : *est* quippe *Christus,* et Deus *Dominus;* ac sicut dictum fuerat a Propheta, natus est *in civitate David*, patris sui.

Non invitat Angelus pastores ad Christum inquirendum : tanta enim eis infundebatur fidei gratia, tantumque gaudium, ut non possent fere non quaerere Salvatorem; sufficit itaque signa eis indicare quibus eum infallibiliter agnoscant; sed id necessarium; nam profecto domus, easque praecipuas civitatis Bethleem, adiissent. Quis enim magnum Regem, quem Judaei ut magnificum regni eorum instauratorem expectabant, in stabulo

nasciturum esset suspicatus? Nesciebant regnum ejus non tantum non esse de hoc mundo, sed et penitus regnis hujus mundi oppositum. Sicut enim tria in mundo sunt quae mundum in ruinam pertraxerunt, *concupiscentia oculorum* seu cupiditas divitiarum, *concupiscentia carnis* seu sensualitas et luxuria, et *superbia vitae,* ex qua omnia vitia; ita tribus his pestibus Christus, ut salvet mundum, tria contraria opponit, paupertatem, dolorem, abjectionem. Hinc domus in qua nascitur, non domus est, sed stabulum; cunae ejus sunt praesepe bestiis paratum; lectus, palea et foenum; vestes ejus regiae, viles panni; societas ejus, bestiae, bos et asinus. Nempe, quoniam vita sensuali et stupida homo ad conditionem jumentorum descenderat, in stabulum Christus e caelo descendit, ut hominem ubi erat, quaereret atque eriperet. *Homo, cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* (Ps. 48, 15).

Indubia ergo signa dedit Angelus pastoribus, quandoquidem nullus unquam infans in tali abjectionis gradu natus erat : *Et hoc vobis signum : Invenietis infantem pannis involutum, et positum in praesepio.* Ut autem talis nativitatis opprobrium fidei pastorum non officeret, ecce illico super stabulum, et praesepe, et pannos

refulget caeleste. pueruli divinitatis testimonium.

Et subito facta est cum Angelo multitudo militiae caelestis laudantium Deum et dicentium : Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Contemplare et rutilans eo momento caelum universum, et exercitum Angelorum, et pastores quasi in extasim raptos. *Quam sordet tellus, cum caelum aspicio!* Disce ex istis abhorrere ab omnibus quae mundus amat et amplectitur, et admittere ac concupiscere totis viribus quidquid Christus Dominus noster amavit et amplexus est. *Ego sum via, veritas et vita.* (Jo. 14, 6).

Secundum punctum. — *Secundo,* ait S. P., *Pastores eunt in Bethleem. (Venerunt festinantes et invenerunt Mariam, et Joseph, et Infantem positum in praesepio).* Potuisset quidem Angelus pastores unico momento per miraculum transferre : sed ire et quaerere eos volebat is, qui cooperationem creaturarum suarum semper exigit.

Lucas ait : *Et factum est, ut discesserunt ab eis Angeli in caelum : pastores loquebantur ad invicem : Transeamus usque Bethleem, et videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis.* Contemplare caeleste pastorum gaudium, fidem et ad obediendum alacrita-

tem. *Et videamus hoc verbum,* seu rem verbo significatam : nec dubitantes hoc dicunt, quasi de visu vellent esse certiores, sed ut Angeli invitationi respondeant, et incarnatum Verbum factum jam visibile suis oculis videant, eumque adorent. Revelationem enim sibi factam esse a Deo firmiter credunt : *quod Dominus* (non enim dicunt : *Angelus) ostendit nobis.*

Comitare pastores factos omnino caelestes et ardentes desiderio videndi Christum : audi eos loquentes. Committunt divinae Providentiae agnos suos, ut quaerant Agnum Dei : non eunt, sed ire festinant prae gaudio. *Et venerunt festinantes : et invenerunt Mariam et Joseph et infantem positum in praesepio.*

« Festinant pastores, ait V. Beda : neque » enim cum desidia Christi est quaerenda » praesentia : et ideo forte nonnulli quaeren- » tes invenire non merentur, quia desidiose » Christum quaerunt. » Quam notanda verba illa, si meditationibus nostris et visitationibus SS^mi^ applicentur!

Contemplare pastores notum sibi stabulum intrantes receptosque cum amore a S. Virgine Matre et a S. Joseph, procumbentes illico in genua, Verbumque incarnatum cum ineffabili fide, stupore, amore adorantes ; contemplare admirantes cum gaudio B. Virginem et S.

Joseph; contemplare super omnia Jesum, et pastorum sensus fac tibi proprios. Audi verba, vide charitatis officia; reflectere in te ipsum et ex tam stupendo spectaculo fructum collige.

Videntes autem cognoverunt. (scil. notificare potuerunt) *de verbo quod dictum erat de puero hoc :* Et revera quae audierant et viderant nota fecerunt multis, eosque, pro divino amore et zelo quo ardebant, ad visendum et adorandum Jesum invitaverunt; nec sine fructu, nam pauperes ac sibi similes alloquebantur.

Et omnes qui audierunt, mirati sunt de his quae dicta erant a pastoribus ad ipsos.

Maria autem conservabat omnia verba haec conferens in corde suo. Ea enim omnia Maria erat S. Lucae evangelistae traditura. Pro sua humilitate et modestia, vix loquens ipsa, excipit cum gaudio quae enarrantur a pastoribus, eaque diligenter conservat, conferens in corde suo; comparabat enim et simul conferebat, tum quae a pastoribus dicebantur, tum quae audierat ipsa ab Angelo, tum quae viderat, tum denique quae a Prophetis de nativitate Christi praedicta fuerant, illaque omnia divine concordare inter se admirabatur.

« Non satis, ait P. Salmeron, cuivis Chris-» tiano scire Christi gesta et dicta scripta » esse in Evangelio; sed opus est ut illa me-

» moriae commendet, et illa cordi suo impri-
» mat; nam ex illis fides confirmabitur, sta-
» bilietur spes, et charitas inflammabitur,
» bonique mores ad exemplum Christi facile
» componentur. Nam quae Christus, qui lex
» nostra est, vel gessit, vel dixit, vel passus
» est, si membrum ejus es, quae sis acturus,
» quid dicturus, quid denique propter ipsum
» toleraturus, efficaciter et suavissime docent.
» Sicut enim pravae cogitationes, ut de vo-
» luptatibus et sordibus, aculeum relinquunt
» in corde hominis : ita piae et sanctae Christi
» vitae meditationes cogitationesque pios
» quosdam in corde hominis accendunt affec-
» tus, quibus pietas mira percipit incrementa
» virtutum. »

Tertium punctum. — *Tertio,* ait S. P., *(Reversi sunt pastores glorificantes et laudantes Deum.)* Lucas addit : *in omnibus, quae audierant, et viderant, sicut dictum est ad illos.*

Contemplare pastores valedicentes Jesu, Mariae et Joseph. Divini pueruli pedes adorando, eosque ex amore lacrymis rigando osculantur. Inde redeunt ad officium suum. Ita vult Deus nos a contemplatione recedere, quantumvis dulcis existat, ut obedientiam sequamur : Deum enim sic pro Deo relinquimus.

Comitare eos ad gregem suum redeuntes. Quid jam in oculis eorum pretii habent terrena quaecumque? Invenerunt Jesum et cum eo omnia. « Qui invenit Jesum, ait Th. Kemp., » invenit thesaurum bonum : immo bonum » super omne bonum... Pauperrimus est, qui » vivit sine Jesu : et ditissimus, qui bene est » cum Jesu. »

Audi pastores in sua simplicitate cum amore tenerrimo simul et sublimissimo glorificantes et laudantes Deum; audi eos recolentes mirabilia omnia quae audierant et viderant, admirantes quod Deus ita dilexerit mundum; eosque interroga : « Quem vidistis, pastores? » dicite, annuntiate nobis, in terris quis ap- » paruit? » — « Natum vidimus, et choros » Angelorum collaudantes Dominum. Genuit » puerpera Regem, cui nomen aeternum, et » gaudia matris habens cum Virginitatis ho- » nore; nec primam similem visa est, nec » habere sequentem (ex off. Nativ.). »

Quo autem magis de Jesu loquuntur, eo etiam corda eorum magis ac magis divino accenduntur amore. Quanta etiam cum reverentia et admiratione, quam tenero cum affectu de amabili matre Jesu et de bono et sancto Joseph confabulantur! Etenim os ex abundantia cordis loquitur. Neque aliter, si in corde meo

amor Jesu abundaret, ego quoque libenter de Jesu sermonem inirem et audirem. Quantumque inde in me et in aliis cresceret amor Jesu! Undenam ergo fit, ut tam raro de Jesu, qui Deus meus est et omnia, sermonem misceam?

In fine colloquium, et *Pater noster*.

SECUNDUM EXERCITIUM

De circumcisione

SCRIBIT S. LUCAS, C. 2

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia, erit hic quomodo in stabulo Bethleemitico circumcisus est divinus Servator, et quomodo, accepto nomine Jesu et effuso sanguine, redditus est Matri suae.

Secundum praeambulum, compositio loci erit hic videre interiora speluncae bethleemiticae.

Tertium praeambulum, idem ac pro Incarnatione.

Primum punctum. — *Primo,* ait S. P., *circumciderunt puerum Jesum.*

Lucas ait : *Et postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer.*

Dura circumcisionis lege quae Abrahae et

posteris ejus ad remissionem peccati originalis, et ut ab infidelibus distinguerentur, fuerat imposita, non tenebatur Christus, utpote Dominus et ab omni labe peccati innocuus. Lex enim illa earum tantum matrum filios attingens, quae ex semine conceperant, nequaquam illum vinciebat qui conceptus de Spiritu Sancto natus erat de Virgine.

Nihilominus sponte voluit Christus circumcidi, idque ob multiplicem causam; septem causas S. Thomas enumerat : 1. Ut humanam habere se carnem ostenderet. 2. Ut approbaret circumcisionem quam Deus praescripserat. 3. Ut comprobaret esse se de genere Abrahae : circumcisio enim data erat in signum fidei in Christum. 4. Ut obedientiam nobis exemplo suo commendaret. 5. Ut Judaeis excusationem tolleret, ne eum reciperent, si fuisset incircumcisus. 6. Ut, postquam in similitudinem carnis peccati advenerat, remedium quo caro peccati consueverat mundari, non respueret. 7. Ut onus in se legis sustinens, alios a legis onere liberaret. *Misit Deus filium suum factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret* (GAL. 4). — Adduntur, una a S. Leone, duae a S. Augustino. 8. Ut per circumcisionem diabolo occultaretur. 9. Ut carnali circumcisione sublata spiritualem sub-

stitueret, quae in vitiorum et concupiscentiarum mortificatione ac resectione consistit. 10. Christus circumcisione inchoavit passionem suam, ejusque in tenerrima jam aetate nobis dedit primitias; primitias, inquam, nam guttulas solum illius sanguinis tunc nobis dedit, quem in cruce totum erat effusurus : Hinc jam tunc obtinet nomen Jesu. 11. Denique, et maxime, insigne voluit nobis exemplum dare humilitatis. Humilitas enim veritatis, ut supra expositum est, ex proprio nostro nihilo primum, dein ex peccatis nostris procedit, quae duae abyssus sunt, in quas in prima hebdomada descendimus. In primam descendit Jesus, cum in vacuo ac pauperrimo stabulo, velut in nihilo nihil ipse nasci visus est; in alteram, eamque horribilem, foetidamque descendere jam dignatur, stigmaque peccati cum maledicta peccatorum totius mundi nota in se suscipit, ad imum usque descensurus, cum in cruce per totius sanguinis sui effusionem notam illam penitus delebit. *Delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio affigens illud cruci.*

Sanguinolento Parvulo qui datus est nobis compatere, Eumque ama qui cum in forma Dei esset et ipsamet infinita innocentia, te

adeo dilexit, ut maledictionem et ignominiam peccatorum tuorum, te justificaturus assumpserit; et cum amore erubesce. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum : quia scriptum est : Maledictus omnis qui pendet in ligno.*

Secundum punctum. — *Secundo,* ait S. P. *(Vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur).*

Nomen Jesu divinum est, quia et Mariae separatim et S. Joseph, iisdem verbis ab eodem Angelo et a Deo per Angelum impositum est : *Et vocabis nomen ejus Jesum.* Maria illud audivit ante, Joseph autem post conceptionem. Divinum est quia soli Deo innotescit quid nascens puer sit per totam vitam peracturus : ceteris futura sunt abscondita : *Quid putas puer iste erit?* Divinum est, quia soli Deo, soli Filio Dei competere potest, qui solus Homo-Deus humanum genus poterat ab exitio liberare.

Jesus, id est salvator, non more ceterorum salvatorum vitam temporalem aut regna hujus mundi servans, sed vitam animarum restituens et quidem non in tempore tantum, sed et in aeternitate : Salvator igitur est in aeternum, idque tam divina, tam efficaci potentia, ut et Apostolis salvandi vim communi-

cet. Soli ergo Christo nomen illud perfecte convenit.

Habes jam quid significet nomen Jesu : at nunc, quod practicum et ad inflammandum amorem nominis Jesu est aptissimum, considera quanti tantum nomen ex amore tui tuus ille Jesus emerit : ignominiosa nimirum ac crudeli circumcisione, humiliationibus omnis generis, persecutionibus, calumniis, laboribus, alapis, sputis, injuriis ac subsannationibus, flagellatione, spinis, crucifixionis ignominia et ultimo malefactorum supplicio. Audi iterum Paulum paucis verbis, et vitam Christi et nominis Jesu origines complectentem : *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium et infernorum* (Philip. II). In vita ergo ejus mortali universa, nil praeter humiliationem et practicam humiliationis formam, obedientiam usque ad mortem reperies, neque usque ad mortem tantum, sed, quod culmen est aut potius imus fundus abyssi : *mortem autem crucis.* Post resurrectionem autem solum, nominis Jesu orietur gloria.

Quamvis propter reverentiam Christi nulli

Christiano nomen Jesu imponere liceat, voluit tamen suum Jesus nomen apostolicae S. Ignatii Societati impertiri, utpote quae tota in redemptione animarum collaboret; at non alio titulo eam tanto nomine insignivit, quam, quo ipsemet illud in sua mortali vita accepit : Titulus autem ille est : *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*. Qui igitur non amat, non prosequitur regulam undecimam Summarii, in qua titulus ille ac tota simul natura atque essentia societatis Jesu describitur; qui refugit opprobria et humiliationes; qui non est usque ad mortem etiam crucis obediens; qui ad illa omnia serio saltem non contendit, non dicat is esse se de societate Jesu, nec sibi de insigni nominis Jesu gloria in altera vita obtinenda blandiatur.

Conquiesce paululum in gustanda dulcedine nominis Jesu, in quo omnia quae fecit pro te Jesus, verbo unico continentur : « Jesus » mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. » (S. Bern.)

Tertium punctum. — *Tertio*, ait S. P., *reddunt Puerum Matri suae, quae compatiebatur de sanguine, qui de Filio suo exibat.*

Cum S. P. nullam suis Exercitiis, sive de B. Virgine, sive de S. Joseph, sive de alio quocumque meditationem ex professo intex-

uerit, quia solum Christum ducem ob oculos habuit, tamen nullam occasionem dicendi de divina illa Matre, quam tenerrime diligebat et nostram Dominam vocitabat, praetermisit : pauca ea sunt quae dicit, sed divina quadam unctione plena atque amorem spirantia.

Hujus autem puncti seu potius simplicis ac tenerrimae imaginis materiam, non ex Evangelio S. P., sed ex filiali suo erga Dei Matrem corde deprompsit. Quis in acerimo bellatorum duce adeo teneros sensus non miretur, quos vix in Bernardo reperias! Sensus autem illos breviter innuit potius pro more suo quam exprimit, ita viam sternens, ut exercitans, si singula verba meditetur, tenerrimos erga piissimam Virginem sensus inveniat : *Puerum* tam tenerum, tam amatum, *Matri suae* amantissimae reddunt. — Quae *compatiebatur de sanguine*. Quam crudele matri est videre alienum etiam sanguinem! Quid autem si sanguis ille Filii sui sit, et maxime talis Filii : Compatere et tu optimae Matri flenti super sanguinem filioli sui. Eheu! haec initia tantum dolorum ejus. Quid, cum stabit Mater Dolorosa juxta crucem exsanguis ac morientis sui Jesu? Quid, cum inanime corpus Jesu ei reddent ac super ejus genua reponent?

In fine colloquium, et *Pater,* et *Ave.*

TERTIUM EXERCITIUM

De tribus Regibus Magis

SCRIBIT MATTHAEUS, CAP. II

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia, erit hic quomodo tres Reges Magi viderunt in Oriente, et Spiritu Jesu afflante, agnoverunt stellam illam a Balaam, in signum nativitatis Messiae, praedictam : *Orietur stella ex Jacob :* quam cum vidissent, valde longum iter in Jerusalem susceperunt; deinde stella duce pervenientes ad stabulum Bethleemiticum, in eo Christum adoraverunt, eique munera obtulerunt; ac tandem in somnis admoniti, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.

Secundum praeambulum, compositio loci, erit hic videre viam tam longam, tam variam et difficilem ab Oriente in Jerusalem et in Bethleem, itemque speluncam nativitatis Christi.

Tertium praeambulum, idem ac pro Incarnatione.

Primum punctum. — *Primo*, ait S. P., *tres Reges Magi stellam sequentes ducem, venerunt ad adorandum Jesum, dicentes : (Vidimus stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum.)*

N. B. *Stellam sequentes ducem :* haec verba non ita debuit intelligere S. P., quasi stella Magis in suo itinere ab Oriente in Jerusalem apparuisset. Nam dux quidem in illo itinere fuit hoc sensu quod, videntes stellam orientem ex Jacob, prout dixerat Balaam, intellexerunt natum esse Christum in Judaea; atque hinc iter suum direxerunt in Jerusalem, principem Judaeae Civitatem. Iter autem illud notum erat, nec stella duce indigebat. Immo multo magis fides et constantia Magorum, inde claruit, quod stella Jerusalem usque non apparuerit. Ceterum si contextus S. Matthaei attente consideretur, manifestum erit stellam a Magis visam fuisse in Oriente tantum, et in via a Jerusalem ad Bethleem; de his enim solis apparitionibus mentio fit in Evangelio : Vidimus stellam ejus *in Oriente :* hinc etiam incredibile illud et inexpectatum gaudium quo Magi in exitu e Jerusalem perfusi sunt : ET ECCE *stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, usquedum veniens staret supra, ubi erat puer. Videntes autem stellam gavisi sunt* GAUDIO MAGNO VALDE.

Viva apud orientales perduraverat prophetiarum memoria quas de Israelitarum Messia protulerat antiquus ille Magorum praecessor Balaam; quando nimirum Balac, rex Moab,

promissis praemiis vocaverat Balaam ariolum, ut venienti in terram promissam populo Hebraeo malediceret : ariolus autem, cum vidit Hebraeorum tentoria, veri Dei Spiritu subito instigante, ter pro maledictione, benedictionem in Hebraeos effatus est : *Quam pulchra tabernacula tua, Jacob, et tentoria tua, Israel!.. Qui benedixerit tibi, erit et ipse benedictus : qui maledixerit, in maledictione reputabitur.* Cumque iratus rex Moab dixisset : *Ad maledicendum inimicis meis vocavi te, quibus contrario tertio benedixisti, respondit Balaam : Nonne nuntiis quos misisti ad me, dixi : Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti et auri, non potero praeterire sermonem Domini Dei mei, ut vel boni quid vel mali proferam ex corde meo : sed quidquid Dominus dixerit, haec loquar?.. Sumpta igitur parabola, rursum ait : Dixit Balaam, filius Beor... dixit auditor sermonum Dei, qui novit doctrinam Altissimi, et visiones Omnipotentis videt, qui cadens apertos habet oculos : Videbo eum, sed non modo : intuebor illum, sed non prope.* Orietur Stella ex Jacob, *et consurget virga de Israel :... Ulteriora autem* prophetans Balaam : *Venient, ait, in trieribus de Italia, superabunt Assyrios, vastabunt Hebraeos, et ad extremum etiam ipsi peribunt.*

Quindecim quippe saecula post Balaam

jam effluxere; et ecce tandem praedicta stella illa Magis Melchior, Gaspar et Baltazar affulget.

Contemplare tres Magos, id est scientiae astrorum peritos, prophetiaeque Balaam conscios, invisam hucusque et forma ac splendore portentosam stellam advertentes et cum stupore admirantes. Rectis illis mentibus continuo subvenit Prophetia Balaam; et ecce dum stellam intuentur, illico Jesus, qui eam suscitaverat, corda Magorum interna gratia ita illuminat, ut stellam illam esse intelligant quam Balaam praedixerat. Qui, nulla mora interposita, credunt et una voce cum gaudio exclamant : *Hoc signum magni Regis est, eamus et inquiramus eum,* (Antiph. ad Magn.), Messiam in regia Judaeae civitate inquirere decernentes. At quanta fides et quanta pietas Magis inesse debuit, ut relictis subditis ac familia, spretisque consiliis atque irrisionibus, tam longum, tam aerumnosum iter sub fide meteori caelestis, arriperent! Tantam viam impigri percurrunt, ut Jesum per paucos dies videant; et ego aliquot passus facere, ut Jesum in SS. Eucharistia praesentem visitem et adorem reformido, et visitationem omitto. Vere *Medius vestrum stetit quem vos nescitis.* Magos sequar iter facientes ac de Christo

cum crescente semper desiderio colloquentes, ut Sacramentum amoris amare discam.

Ingrediar cum eis urbem Jerusalem, et contemplabor in medio infidelis populi Dei gentiles illos mirabili fide donatos : *Cum ergo natus esset Jesus in Bethlehem Juda in diebus Herodis regis, ecce Magi ab oriente venerunt Jerosolymam, dicentes : Ubi est qui natus est rex Judaeorum? Vidimus enim stellam ejus in oriente, et venimus adorare eum.* Cum Christum regem in regia civitate natum existimarent, nec id cives judaeos latere posse ratum haberent, primos sibi cives occurrentes, deinde alios et alios interrogant; nec petunt an natus sit Christus, de qua re ne quaerunt quidem fieri certiores, sed radicati in fide petunt ubi sit. Quantus vero eorum fuit stupor quando in ipsis Judaeis, quorum res intererat, quique Christum expectabant, vel non esse fidem propheticam, vel nullam de regis sui nativitate inesse sollicitudinem viderunt! Neque interrogati Judaei respondere audent, propter metum Herodis illigitimi regis sui, qui occisis ac sublatis omnibus legitimis regni heredibus regnum usurpaverat. Sparsus tamen de tribus Magis in tota civitate rumor ad aures Herodis brevi pervenit. *Audiens autem Herodes,* formidansque novum regem sibi forte

substituendum, *turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo. Crudelis Herodes,* ait div. off., *Deum Regem venire quid times? Non eripit mortalia, qui regna dat caelestia.* Qui si Deus et Messias est, quomodo ei homo resistat? Sed rationem obnubilat et obcaecat omnis cupiditas, atque in primis ambitio.

Nec solum turbatus est Herodes, sed, sicut legitimos regni heredes perdiderat, ita et natum regem Judaeorum apud se statuit quantocius occidere. At intra se nefarium consilium perversorum more, occultans, hypocrisim adhibet. *Et congregans omnes principes sacerdotum, et scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur.* Sic divina Providentia per ipsos hostes sua implebat consilia, ut nimirum Judaei, vel scirent omnes Christum natum, vel, si ipsum recipere nollent, essent inexcusabiles. *At illi dixerunt : In Bethlehem Judae : sic enim scriptum est per Prophetam : Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda : ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel.*

Hoc adeptus Herodus, dolos nectere pergit, clandestinos illos quidem; nam Magos ipsos, captivata eorum simplicitate, nefarii sui consilii adjutores adhibere decernit. *Tunc Herodes clam vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus*

stellae, quae apparuit eis. Sic enim, quo die natus esset puer probe noscens, facilius ipsum inveniret atque occideret. Ast ut ne Magi abominabilem ipsius intentionem odorentur, astutus ac versipellis ille homicida fingit se desiderio Messiae ardere : *Et mittens illos in Bethlehem dixit : Ite, et interrogate diligenter de puero : et cum inveneritis, renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum.* Tales filii sunt illius, qui ab initio homicida est et pater mendacii.

Gavisi sane sunt Magi, quod rex temporalis Regem aeternum vellet adorare; nam, ut erant simplices sicut columbae, dolum suspicati non sunt. *Qui cum audissent regem abierunt, et ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, usquedum veniens staret supra ubi erat puer.* In 5ª Annotatione commendandae liberalitati erga Deum multum insistit S. Fundator, et in reg. Summ. 19. de eadem re ait : « In universum loquendo, quanto aliquis se » arctius Deo adstrinxerit, et liberaliorem » erga summam Majestatem se praestiterit, » tanto eum in se liberaliorem etiam experie- » tur, et ipse in dies magis idoneus erit ad » gratias, et dona spiritualia uberiora reci- » pienda. » Haec in Magis mirabiliter impleta conspice : *Vidimus... et venimus adorare eum;* unde *Gavisi sunt gaudio magno valde.* Similiter

audi Paulum : *Qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet* (2 Cor. 9).

Secundum punctum. — *Secundo,* ait S. P., *adoraverunt eum, et obtulerunt ei munera. (Procidentes adoraverunt eum, et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham).*

Matth. ait : *Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus, et procidentes adoraverunt eum.*

Intrantes domum, scilicet locum in quo erat Jesus, id est stabulum. Ita nimirum sentiunt Patres ferme omnes, cum divo Thoma; unde Franciscus Suarez ait : « Constat in stabulo » mansisse Christum et B. Virginem, utpote » puerperam usque ad purificationem. » Atque ita Deus ostendit tum Magis, tum universis hominibus regnum Christi in paupertate, humilitate et contemptu mundi consistere, non in opibus, fastu, palatiis pompisque hujus saeculi.

Probationi objecta fuerat Majorum fides, primo in Oriente ex parte familiae civiumque suorum; secundo in Jerusalem per scandalum Judaeorum, quorum ne unus quidem ad quaerendum Christum cum eis e civitate fuerat egressus. Ecce nunc tertia eaque praecipua probatio. Quam enim attoniti fuere,

cum viderunt stellam sistere super stabulum! Quanta eorum fides esse debuit, ut natum in stabulo Regem regum agnoscerent! At subito Spiritus Jesu intus eos ita illuminavit, ut Jesum et regnum ejus *intime* cognoverint.

Stabulum cum eis ingredere, contemplare personas, Mariam, Jesum, Magos, eorumque sensus, verba et actiones. Quam sublimis et divina hora illa fuit! O stupenda fides! O stupenda Magorum in Jesum dilectio, qui, cum Deus esset, eousque abjectionis ex amore hominum descenderat! Vide Magorum lacrymas coram illo infiniti amoris spectaculo! Vide cor Jesu in animas Magorum radios suos et amoris faculos mittens. Quid vero sentit tunc, quid dicit Beata Mater?

Contemplare reverentiam, humilitatem, amorem, gaudium Magorum, qui, ut Puerum viderunt, nihil dicentes prociderunt et adoraverunt eum : et hic ardenter precare ut et in te veniat intima cognitio Domini tui, qua eum pro te factum hominem magis ames propiusque in paupertate et contemptu ex amore sequaris.

Et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham.

S. Ambrosius in hunc versum, ait : *Aurum regi, thus Deo, myrrha defuncto.* S. Greg. hom.

10. ait : *Auro regem : thure Deum; myrrha mortalem praedicant.*

Quod autem Christum ex divina inspiratione jam in Oriente talem crediderint, patet ex eo quod munera illa ex oriente secum attulerint. Unde Glossa dicit : *Divina inspiratione id factum est, ad significandam in Christo regiam potestatem, divinam Majestatem et humanam mortalitatem.*

Offer et tu Christo Jesu aurum charitatis et sapientiae, thus orationis et devotionis, myrrham denique mortificationis.

Offer, religiose, Christo Jesu aurum voti paupertatis; thus voti obedientiae, et myrrham voti castitatis, quibus praeclariora munera nulla sunt.

Tertium punctum. — *Tertio,* ait S. P., *(responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.*

Responso accepto in somnis. Promiserant enim Herodi se ad eum redituros, existimantes in simplicitate sua regem illum sincere velle Deum incarnatum adorare. Sed vel ex auditis scientes jam qualis esset Herodes, vel a bono spiritu in suspicionem inducti, rogabant Deum utrum nunc suae promissioni stare deberent; et ecce in somnis responsum accipiunt, ne redeant ad Herodem, qui caedem

Jesu machinabatur; sed per aliam viam revetantur in regionem suam. Si enim quae jam sciebant, Herodi renunciassent, illico, secluso miraculo, Jesus occisus fuisset. Sic Deus adversus impiorum astutias simplices ac rectos corde, qui ipsi se committunt, protegit.

Atque hic iterum fidem Magorum admirare, quibus sufficit admoneri in somnis : quique de accepto responso nullatenus ratiocinantur, nullo murmure queruntur apud semet ipsos : Numquid non posset Deus-homo insidias homunculi facile effugere? Tam longum et tam difficile iter confecimus, nunc autem longius etiam et timore plenum nobis imponitur! Homines scilicet illi jam sibi penitus mortui, soli Christo Jesu vivebant solamque exoptabant divinam voluntatem. Invenerant enim Jesum. Jam vero, ut ait Thomas Kemp., *Quando Jesus adest, totum bonum est, nec quidquam difficile videtur; quando vero Jesus non adest, totum durum est.* Hinc intellige cur saepius praecepta Majorum aegre forte sustineas.

Redeuntes per aliam viam Magos comitare, eorum modestiam et habitum omnino caelestem contemplare, quos nihil amplius in hoc mundo aestimantes nihil remorari potest. *Quam sordet tellus ei* qui vidit Jesum! O si

vividiori fide viderem Jesum *in fractione panis*, quam animo collectus, quam caelestis a sacra communione exirem! Audi eos inflammato corde, de Jesu amore, humilitate, paupertate, ac comtemptu mundi, et de Judaeorum caecitate loquentes; audi eos laudantes et glorificantes Deum. An et tu qui multo plura a Jesu accepisti, de Jesu saepe loqueris, quando quidem os ex abundantia cordis loquitur? Nonne apparet ex multiloquiis tuis levitate plenis, cor tuum vanitate, sensualitate, mundanitate, scurrilitate et dissipatione abundare? Contemplare et quid agant, quam paupere, ad exemplum pauperis Jesu, victitent et cum eo incommoda omnia amplectantur.

Quid hucusque in Exercitiis fecisti? Vidisti quidem, sed intellexistine Jesum? Quid prodessent tibi tot contemplationes si per eam, qua venisti, viam redires? Incideres in Herodem, in cupiditatem, in sensualitatem, in amorem mundi et superbiam; atque Jesum, quem tanto labore et tanta Dei gratia in corde tuo concepisti, iterum Herodes occideret. Per aliam igitur, per contrariam omnino viam tibi redeundum est. Si in caelesti orationis somno vel Angelum Jesu, vel Jesum ipsum audisti dicentem tibi qua via tibi sit in posterum eundum, noli obdurare cor tuum. Generosus

esto et fidelis, ne tot acceptae gratiae, in ruinam tuam, propter abusum, convertantur.

« Herodes, ait Corn. a Lap, est diabolus, » mundus et caro; via ad eum est voluptas » et cupiditas : qui ergo ab eo ad Chris- » tum transeunt, per aliam viam, crucis et » mortificationis, gradiantur, et in patriam » suam, puta paradisum caelestem, revertan- » tur oportet. »

Audi et S. Gregorium, hom. 10. « Regio » nostra paradisus est, ad quam, Jesu cognito, » redire per viam qua venimus, prohibemur. » A regione etenim nostra superbiendo, inobe- » diendo, visibilia sequendo, cibum vetitum » gustando, discessimus; sed ad eam necesse » est ut flendo, obediendo, visibilia contem- » nendo, atque appetitum carnis refraenando » redeamus. Per aliam ergo viam ad regionem » nostram regredimur, quoniam qui a para- » disi gaudiis per delectamenta discessimus, » ad haec per lamenta revocamur. »

Quonam igitur pacto fit, ut Religiosi post facta toties Exercitia iidem fere semper sint? Hoc profecto ex eo oriri censendum est, quod, bonis aliquot, sed fugitivis sensibus contenti, per eamdem tandem viam revertantur.

In fine colloquium et *Pater noster*.

Tertia dies

PRIMUM EXERCITIUM

Praesentatio Christi in templo

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum. — Completis diebus purgationis, Maria et Joseph, legi Moysi subjicientes se, puerum Jesum detulerunt in Jerusalem, obtuleruntque Domino. Superveniens Simeon in templun, acceptoque Jesu in ulnas suas, dixit canticum : *Nunc dimittis;* dein prophetavit super Jesum et Matrem ejus; Supervenit et Anna prophetissa.

Secundum praeambulum. — Ad modum praeambuli de Nativitate, videre viam a Nazareth in Jerusalem, et templum, ac locum templi ubi praesentatio facta est.

Tertium praeambulum, idem atque in Nativitate.

Primum punctum. — Praesentatio pueri Jesu et purificatio Dominae nostrae. *Primo*, ait S. P., deferunt *puerum Jesum ad templum, ut praesentetur Domino tamquam primogenitus, et offerunt pro eo (Par turturum aut duos pullos columbarum.)*

Lucas ait : *Postquam impleti sunt dies purga-*

tionis ejus secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino... et ut darent hostiam secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum aut duos pullos columbarum.

Iter in Jerusalem. Adjunge te magna humilitate, reverentia, obsequio, ut comitem ac pauperculum servum iter facienti sanctae familiae; continuo magna modestia et vividissimae fidei oculo, intuere beatam et immaculatam Virginem Angelis circumdatam, modestissimam, totam in Deo absorptam; quam vidisse, amare est. Quanta in summa dignitate humilitas et amabilitas! intuere S. Joseph tam simplicem, tam humilem sanctae familiae dominum simul et servum; intuere praesertim puerulum Jesum, quem portat Mater plerumque, identidem S. Joseph : attende eorum verba, et multo magis eorum silentium; oculo minimos etiam eorum actus sequere. Contemplare eorum paupertatem in vestitu, victu; qui cum sint pauperes, nemo iis attendit. Contemplare et eorum obedientiam, cum tamen lege Moysi non tenerentur.

Purificatio B. Virginis. Contemplare templi Dei magnificentiam, illudque cum B. Virgine et Jesu ingredere. Tunc prophetia adimpletur: *Suscepimus misericordiam tuam in medio templi*

tui (Ps. 47, 10). Vide S. Joseph ementem et portantem caveolam cum pare turturum aut duobus pullis columbarum, oblationem scilicet pauperum pro purificatione sponsae suae. Haec ex humilitate, atque obedientia purificari et inter abjectas peccatoque infectas filias Evae vult computari, quae tamen immaculata concepta est, quae Virgo peperit et de qua Spiritus Sanctus dixit : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te* (CANT. 4, 7). Talia docemur in schola Christi.

Oblatio Jesu. Intuere, quasi actu adesses, Divinam Matrem tradentem sacerdoti et offerentem Deo filiolum suum Jesum; intuere ejus sublimes et ecstaticos sensus, dum Deo infinito infinitum Deum offert; intuere et maternos sensus, cum unicum Filium pro redemptione mundi crudeli morti devovet. Quam dura a dilectis suis exigit Deus! Sed maxime intuere intimos sensus Jesu offerentis semet ipsum, pro gloria Dei et pro salute mundi, ad paupertatem ad opprobria, ad sputa, ad alapas, ad flagella, ad coronam spineam, ad mortem in cruce; et haec omnia *propter te!* Quid tu illi retribues? Audi Jesum tibi ingeminantem : *Si quis vult venire post me, abneget semet ipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me* (MATT. 16, 24).

Secundum punctum. — *Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, et homo iste justus, et timoratus, expectans consolationem Israel, et Spiritus Sanctus erat in eo.*

Et ecce homo... Et homo iste : Nusquam forte sacrarum Scripturarum tanta emphasi utitur Spiritus Sanctus : adeo rari sunt viri vere sancti! adeo suspicit et admiratur sanctitatem ipse Deus! Nec tantum nominis Simeonis appellatione immortalem ejus memoriam *consecrat,* sed et panegyrim ipsius componit. Quatuor autem panegyris illa laudes continet, quae utinam omnibus communicantibus, maxime vero sacerdotibus convenirent! 1. *Justus* erat Simeon; non autem hac laude aliquem Deus decorat, nisi is perfecte sit justus, sibi videlicet mortuus, ut, juxta dicta in capite Fundamenti, soli Deo vivat. Ita dicitur de S. Joseph : *vir autem ejus, cum esset justus.* Haec perfecta justitia ante omnia, in eo est exoptanda qui S. Communionem est percepturus. 2. *Et timoratus :* quod non de servili timore, sed de filiali accipiendum est; hic autem timor donum Spiritus Sancti est, in eoque consistit ut nil adeo reformidet homo, quam vel levissimam etiam Dei offensionem admittere. 3. *Expectans consolationem Israel,* scilicet promissum Messiam. Expectat consolationem

Israel quicumque terrena omnia despicit, et aeternam solius Jesu possessionem anhelat. 4. Tandem *Spiritus Sanctus erat in eo,* quod culmen est, atque non solam justitiam dicit quae jam memorata est, nec solam Spiritus praesentiam quae omnibus justis inest, sed divinam cum Spiritu Dei familiaritatem, ejusdemque Spiritus Sancti in omni actione motionem ac directionem. Atque ita sanctus ille vir, in omnibus desideriis, verbis, orationibus et actibus a Spiritu Sancto agebatur, sicut impulsione animae membra corporis; tamque cum Spiritu Sancto familiariter agebat et loquebatur, ut responsum acceperit a Spiritu Sancto non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Igitur, sicut Jesus ductus est a Spiritu Sancto in desertum, simili modo Simeon ab eodem Spiritu ductus est in templum : *et venit in Spiritu in templum :* Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo, ipse accepit eum in ulnas suas et benedixit Deum. Scilicet cum Spiritus Sanctus esset in eo, per divinam illuminationem Messiam a ceteris parvulis distinxit.

Et ecce B. Virgo suum Simeoni eodem Spiritu impulsa porrigit infantulum. *Et ipse accepit eum in ulnas suas.* Contemplare specta-

culum illud mirabile : senem sanctitate et canitie venerabilem, prae gaudio et pietate lacrymas profundentem, dum divinum Infantem suas tenet inter ulnas; contemplare B. Virginem et S. Joseph mirantes ac gaudentes. O felicem Simeonem! O feliciorem me qui non ulnis mortalem Jesum, sed intra pectus meum in Sacra Communione, Jesum gloriosum toties suscipio! Utinam cum fide Simeonis! Utinam et cum ejus pietate ferventique expectatione!

Et dixit : *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace : quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuae Israel.* Audi haec verba; ea meditare atque de actione gratiarum sancte peragenda post S. Communionem cogita. *Et erat pater ejus et mater mirantes super his, quae dicebantur de illo.*

Sequuntur Simeonis prophetiae : *Et benedixit illis Simeon, et dixit ad Mariam matrem ejus : Ecce positus est hic in ruinam et resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur.* — *In ruinam,* propter multorum malignitatem. Quam ergo formidanda res est, abuti gratia? — *In signum cui contradicetur.* Tota nempe vita Christi crux fuit et marty-

rium; talis erit per saecula vita Ecclesiae : *Si me persecuti sunt, et vos persequentur* (Io. 15, 20); talis erit et vita omnium electorum : *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu persecutionem patientur* (2. Tim. 3, 12). Vis bibere cum Christo calicem?

Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Modo Mariae benedixerat, et ecce gladio animam ejus praemature perfodit, neque ab ipsa Jesu infantia sanguineam crucem dolorosae Matri veretur praefigurare. Non enim est haec vita spiritualis etiam laetitiae tempus, nec ulla sine cruce benedictio est. Tenerrimae Matri compatere, quae ab eo momento, singula passionis crucisque tormenta quidem ignorans, at incerta praenoscens, eo majori dolore perpetuo opprimebatur, quo erant jam certiora futura, minus tamen certo praevideret quid certo tam dolorosum fore praenuntiaretur.

Tertium punctum. — *Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel, de tribu Azer : haec processerat in diebus multis, et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua. Et haec vidua usque ad annos octoginta quatuor; quae non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die.* Habet et ipsa suam panegyrim a Spiritu Sancto; donabiturque propter sanctita-

tem suam immortalitate. *Anna prophetissa :* ejus texitur historia et laudantur virtutes : in primis castitas quam ante matrimonium et post illud illibatam servavit : dein pietas et mortificatio cum servitii humilitate ac devotione conjuncta. Hisce virtutibus, quas tam perseveranter ad annum usque octogesimum quartum exercuit, gratiam Simeoni concessam et ipsa promeruit.

Et haec, ipsa hora superveniens, confitebatur Domino; plus quam Simeon, quippe quae muliebrem a natura indolem pronam ad sermones et affectus acceperat, in affectus et sermones candide erumpit, eos ad unam Dei gloriam et amorem convertens : *confitebatur Domino :* cumque verus amor sine zelo existere non possit, *loquebatur de illo,* non omnibus absolute, sed *omnibus qui expectabant redemptionem Israel;* ut scilicet in Christum crederent, ejusque amore arderent. Praeclarum hic ponitur spiritualium colloquiorum exemplum, qualibus semper cum Apostolis suis Christus vacabat. Sunt quippe Deo gratissima, saluberrima animabus et diabolo valde odiosa. Etenim *ubi,* ait Christus, *duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ero in medio eorum* (Matt. 18, 20). Ac re quidem vera, quoties accidit ut colloquium spirituale, modo cum simplici-

tate fiat, animos ad amorem Dei magis moveat quam plures horae meditationis! Hinc omnem quoque curam ponit capitalis animarum inimicus, ut talia colloquia etiam inter religiosos impediat. Nec raro ei, adjuvante levitate, respectu humano, et animi dissipatione, res ad votum conficitur.

In fine colloquium, vel colloquia. *Pater noster.*

SECUNDUM EXERCITIUM

De fuga in Aegyptum

Sic tria puncta tradit S. P. : *Primo, Herodes volebat occidere puerum Jesum; itaque occidit Innocentes; et ante illorum caedem Angelus monuit Joseph ut fugeret in Aegyptum. (Surge, et accipe Puerum, et Matrem ejus, et fuge in Aegyptum).*

Secundo, profectus est Aegyptum versus. (Qui consurgens nocte, secessit in Aegyptum).

Tertio, (erat ibi usque ad obitum Herodis).

Praeambulum primum, ex modo dictis.

Praeambulum secundum, compositio loci erit hic repraesentatio cubiculi et strati S. Joseph.

Praeambulum tertium erit idem quod in praecedentibus mysteriis, multum semper ei insistendo.

Primum punctum. — Inverso non consiliorum, sed actuum ordine historico, ut practica quae ad fugam pertinent praecipue perpendantur, S. P. primo ponit persecutionem Herodis et caedem Innocentium. *Tunc Herodes,* ait Lucas, *videns quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde, et mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, et in omnibus finibus ejus, a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a Magis. Tunc adimpletum est, quod dictum est per Jeremiam prophetam dicentem : Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus : Rachel plorans filios suos, et noluit consolari quia non sunt.*

Sic vitia crudelitatem pariunt; sic per ambitionem, diabolus pellit Herodem ad tantam infantium caedem. « Agnelli, ait Augustinus, » debent immolari, quia Agnus futurus est » crucifigi, qui tollit peccata mundi; sed ulu- » lant matres, quia agnos perdunt sine voce » balantes. Grande martyrium, crudele spec- » taculum! Eximitur machaera, et nulla in- » tervenit causa : sola stridet invidia, cum » qui natus est nulli faciat violentiam... Mater » crines capitis dissipabat, quae ornamentum » capitis amittebat. Quantis modis volebat » infantem abscondere, et ipse se infantulus » publicabat!.. Pugnabat mater et carnifex;

» iste trahebat, illa tenebat. Ad carnificem » mater clamabat : Quid separas a me quem » genui ex me?.. Caute portavi, quem a te » video manu crudeli jactari. Modo eum effu- » derunt viscera mea, et tu elidis in terram. » sic jam dicit parvulus Jesus : *Non veni mittere pacem, sed gladium.* Quam perturbat Jesus cogitationes nostras! Sed dicet olim : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum.* « Miscebatur la- » mentatio matrum, et ad caelum transibat » oblatio parvulorum. »

Sed incassum furunt et saeviunt impii. Sicut postmodum sanguis Martyrum semen erit Christianorum, ita nunc solus ille quem quaerebat Herodes, eripitur Jesus.

Eripitur, non quidem ut ne moriatur, sed ut multo crudelius moriatur in cruce. Non autem, quod ei fuisset facillimum, miraculo eripitur. Quare? 1. Quia, sicut postea in Passione, ita hic jam, cum de doloribus et ignominiis ageretur, oportebat ad opus Redemptionis, ut Divinitas se absconderet; 2. quia Filius Dei incarnatus voluit in similitudinem hominum fieri et haberi ut homo. 3. Quia miraculis utens, nec exemplo, nec solatio suis fuisset discipulis et Martyribus. 4. Quia in fuga, quae ignominiosam impotentiam anne-

xam habet, magnae humiliationis occasionem inveniebat. 5. Quia inveniebat occasionem multum patiendi in exilio, propter me. 6. Quia exilio suo magnam erat allaturus Aegypto et desertis ejus benedictionem, juxta prophetiam : *Ecce Dominus ascendit super nubem levem* (i. e parvulum infantem, vel ulnas Virginis) *et ingredietur Aegyptum, et commovebuntur simulacra Aegypti a facie ejus* (Is. 19, 1). Hinc innumeri illi sancti anachoretae aegyptiaci.

Ergo : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*; *sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam* (MATT. 10, 28).

Apparitio Angeli. *Qui* (Magi) *cum recessissent, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens : Surge, et accipe puerum, et matrem ejus, et fuge in Aegyptum, et esto ibi usque dum dicam tibi. Futurum est enim ut Herodes quaerat puerum ad perdendum eum.*

Contemplare Joseph in paupere suo lecto dormientem, et Angelum qui probabiliter Gabriel fuit. *In somnis,* sed ita certum fecit Josephum Deus Angelum esse eum qui in nomine Domini loquebatur, ut B. Virginis Sponsus de hac re dubitare ne minimum quidem posset.

Admirare quam Deus ab hominibus fidei obedientiam requirat. Praecipit enim hic *in*

somnis; praecipit et media nocte, ut in tenebris proficiscendum sit. Nec praemittit laudem Joseph, quo facilius hic obediat. Modus autem imperandi durus in specie et praeruptus est ac brevissimus : *surge, accipe, fuge et esto...*

In Aegyptum, terram nempe barbaram; cur non potius apud Magos ubi sancta familia amicissime fuisset excepta? Dein cur non monet Angelus de duratione exilii, sed praefracte dicit : *esto ibi usquedum dicam tibi?* Cur tandem nullum datur tempus ad praeparanda tam longo itineri et exilio necessaria, sed simpliciter tempus datur accipiendi Jesum cum Maria, et nihil aliud? Minusne potest quam Herodes Deus? Tali imperio talique forma imperandi Joseph insigniter honoratur, utpote qui in Angelo Deum ipsum videat, nec quidquam nisi divinam voluntatem velit. Pariter honorantur et subditi omnes, qui Deum ipsum in suis Superioribus agnoscentes, jussa eorum tamquam mandata ipsius Dei sine examine suscipiunt et exsequuntur. Qui vero, quia vel superior, vel mandatum ejus placet, homini qua homini se subdit, humanam in se naturam inhonorat.

Secundum punctum. — Obedientia sanctae familiae. *Qui consurgens accepit puerum, et ma-*

trem ejus nocte et secessit in Aegyptum. Non solum difficultates non examinavit sanctus Joseph, sed ne morulam quidem inter mandatum et executionem posuit. *Qui consurgens accepit.* Quod autem perfectio executionis adfuerit et prompta atque integra fuerit obedientia, id apparet ex eorumdem quae dixerat Angelus verborum repetitione, ita ut singulis singula respondeant. *Surge, — qui consurgens; accipe puerum, et matrem ejus, — accepit puerum et matrem ejus; et fuge in Aegyptum, — et secessit in Aegyptum.* Haec fuit obedientia S. Joseph.

Mirabilior adhuc fuit Mariae obedientia. Non conquesta est quod, cum esset Mater Jesu, non sibi hac vice Gabriel apparuisset, sed S^to^ Joseph qui infantuli nullo modo pater erat; non conquesta est de incommodo noctis nec de ulla re alia; superiori suo simpliciter obedivit; illico surrexit sinens se accipi, sicut senex baculum accipit. Tendensque continuo ad cunas Jesuli sui : *Fuge, dilecte mi, et assimilare capreae hinnuloque cervorum super montes aromatum* (CANT. 8, 14). Et amplexans parvulum secuta est Joseph *nocte.*

Sed supereminet obedientia Jesu, qui mere subditus accipi se sinit, et ferri quocumque.

Iter in Aegyptum. Sequere cum magna reverentia, et cum amore contemplare B. Virgi-

nem asinae, ut ante Nativitatem, insidentem, atque inter ulnas ac super pectus suum portantem Jesum pauperibus pannis involutum; contemplare et S. Joseph ducentem asinam; audi divini amoris et charitatis verba, et multo magis silentium contemplationis. Attende eorum modestiam, humilitatem, resignationem : compatere eorum fatigationi, egestati. Quam saepe famem, sitim, et in noctibus praesertim frigus passi sunt! Quoties, sicut in oppido Bethlehemitico, a domibus repulsi sunt! Quoties in deserto, nihil habens Joseph ad manducandum, baccas in arboribus quaesivit ut divinam Matrem aliquomodo refocillaret, et per eam infantulum Jesum! Quid fecisses, si ibi fuisses? Fac id nunc fide et affectu. O durum duorum mensium iter!

Divina consilia admirare : quemadmodum Filius Dei decretum Caesaris permisit, ut in summa vilitate et egestate nasci posset, ita noluit miraculo se ab Herode servare, ut multo majorem adhuc rerum omnium egestatem et multo plura vituperia in exilio pateretur; et haec omnia propter me, ut scilicet ita ostenderet quanto in me amore flagraret, ac ineffabile paupertatis et abjectionis pretium me doceret. In schola Jesu nil aliud docetur :

haec scientia Sanctorum. *Beatus quem tu erudieris Domine* (Ps. 93, 12).

Tertium punctum. — *Et erat ibi usque ad obitum Herodis : ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem : Ex Aegypto vocavi Filium meum.*

Pervenit tandem S. Familia in civitatem Heliopoleos, in qua non minus quam per annos quatuor nec ultra septem commorabitur. Contemplare Mariam, Joseph et Jesum intrantes in civitatem, non tantum tales quales tu nosti, sed quales incolae eos considerant, scilicet ut peregrinos, pauperes et contemptibiles. Ibi Maria et Joseph penitus ignoti sunt, nec regionis linguam sciunt. Quo divertent? Si a suis in civitate sua bethlehemitica despecti fuere, quanto magis apud infideles, qui nec verum Deum norant, nec charitatem! Durissima fuere initia. Quam difficile ipsis fuit pauper habitaculum reperire! Non jam in sua officina, utpote et instrumentis et pecunia carens laborabat S. Joseph, sed in aliena ad diem se locabat, ut communem inopiam sublevaret. Pro B. Virgine et pro parvulo Jesu tu mendica. Ideo in Aegyptum secedere voluit Jesus, quia alibi nec talem paupertatem, nec tantum contemptum invenisset.

Attende ineffabilem bonitatem et dulcedi-

nem Cordis Jesu, et contemplare quomodo benedicebat iis qui Matri suae et patri nutritio S. Joseph compatiebantur et benefaciebant; contemplare eum inconsutili illa veste vestitum, quam ei Mater in Aegypto contexuit, quaeque cum eo concrevit; ac vide quomodo parvulos tenera dilectione jam prosequebatur, abscondita sua divina virtute solabatur, interius laetificabat, iis benedicebat; utque ab iis et eorum matribus jam tum amabatur.

N. B. Rem a mente S. P. non alienam Director faciet, si ex primo hujus diei Exercitio duo componat, ita ut in priori primum punctum ponat, in posteriori vero duo reliqua; eo pacto, tertium exercitium erit fuga in Aegyptum; una autem tunc fiet repetitio praecedentium, ad horam nempe Vesperarum.

TERTIUM EXERCITIUM

Quomodo Christus Dominus noster rediit ex Aegypto

SCRIBIT S. MATTH. C. II.

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Erit hic quomodo Angelus monuit S. Joseph, ut re-

verteretur in terram Israel, ac statim obedivit S. Joseph, et profectus est in Nazareth.

Secundum praeambulum. Videre cubiculum et stratum in quo dormiebat S. Joseph, et viam quae ducit ex Aegypto in Nazareth.

Tertium praeambulum, idem ac pro Incarnatione.

Primum punctum. — *Primo,* ait S. P., *Angelus Domini monet Joseph ut revertatur in Israel : (surge et accipe Puerum et Matrem ejus et vade in terram Israel).*

S. Matth. ait : *Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Aegypto dicens : surge, et accipe Puerum et Matrem ejus, et vade in terram Israel : defuncti sunt enim, qui quaerebant animam pueri.*

Defuncto autem Herode : Herodes duos filios suos natu majores a principio regni sui occiderat : occidit, paulo ante mortem suam et infantes innocentes; ultimum tandem filium Antipatrem e vivis sustulit; at quinque post annis hanc caedem caelesti vindicta scelestum istud monstrum terribiliter correptum est. Subito enim tunc febri, hydrope, podraga, morbo pediculari, verendorum putredine, asthmate et foetore intolerabili percussus, truculentam animam exhalavit, adeo excruciatus ut seipsum occidere conatus fuerit.

Mors peccatorum, eorum maxime qui Christum et Ecclesiam persequuntur, *pessima. Ergo,* dicent, *erravimus... Quid profuit nobis superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis?.. Talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt.*

Contemplare justum Joseph super stramineum stratum dormientem. Iterum in somnis Angelus ei apparet, sed ita ut, per divinam illuminationem indubitanter de vera Angeli apparitione certus sit. Tam est Sanctus hic vir obediens ac simplex, ut voluntati divinae quocumque modo manifestatae statim obediat. Iterum de nocte proficisci jubetur; iterum brevi ac imperativo modo mandatum profertur : *Surge... accipe... Vade;* iterum et Jesu et Mariae imponitur, ut sinant Superiorem suum Joseph sumere se, sicut baculum senex assumit. Non otiose S. Spiritus eamdem omnino formam ac in ipsa in Aegyptum profectione adhibuit, ut tum executionis, tum voluntatis, tum judicii obedientiam nobis penitius inculcaret. Ita Jesus obedit Mariae et Joseph; Maria autem Joseph, Joseph Angelo, Angelus Deo, qui solus absolute omnibus creaturis imperat, universorum Dominus. Mediantibus autem vel Angelis vel hominibus, solet imperare Deus, idque ad majorem suam gloriam, per majorem nostram volun-

tariam humiliationem et fidem. Quid in obediendo Superioribus haesitas, cum in legitimo Superiore nulla alia sit quam ipsius Dei auctoritas? *Qui vos audit, me audit.* Jam vero nemo est, ne Papa quidem, immo ne incarnatus Jesus, qui non debeat obedire. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit : non est enim potestas nisi a Deo : quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt* (Rom. XIII, 1, 2). Quanto autem reus magis est, qui obedientiae voto adstrictus potestati resistit?

Unde autem venit obedientiae difficultas, nisi ex defectu fidei et ex superbia nostra? *Nihil arduum est humilibus*, ait S. Leo, *et nihil asperum mitibus.* Pergit hoc modo S. Ignatius in epist. de obed. : « Modo non desit vobis » humilitas, non desit mansuetudo; non uti» que deerit Deo benignitas ad vos adjuvan» dos, ut quae sibi promisistis, ea praestare » possitis, animo non solum aequo, sed etiam » libenti. »

Joseph obedit, Maria obedit, Jesus Deus obedit; et tu calcitrabis? « Disce obtempe» rare, pulvis. Disce te humiliare, terra et » cinis, et te sub omnium pedibus incurvare... » Exardesce contra te, nec patiaris tumorem

» in te vivere... Pepercit tibi oculus meus, ut » ad veram subjectionem et humilitatem te » jugiter dares, patienterque proprium con- » temptum ferres. » (IMIT. 3, 13.)

O Felix status religiosus, in quo singulis momentis Dei ipsius voluntatem per regulas et per Superiores novimus et adimplemus!

Secundum punctum. — *Secundo,* ait S. P., *consurgens venit in terram Israel.*

Iterum iisdem omnino terminis pro reditu ac pro profectione, utitur Spiritus Sanctus atque non minus imperativam formam adhibet; nimirum ut exactissimae obtemperantiae exemplum nobis subministret. Sicut, aliquot ante annis, S. Joseph simpliciter Puerum et Matrem acceperat, et accipi se siverant Jesus et Maria, ita et nunc. Venerunt ex obedientia, ex obedientia redeunt, neque quia redire gaudent aut quia jucundius est, sed quia Deus vult. Sunt enim ad omnia indifferentes; unum quaerunt, sanctissimam Dei voluntatem.

Si naturam sequeris, statim atque aliquid tibi praeceperit Superior, perpendes utrum quod praecipitur jucundum tibi sit, an injucundum : in priori casu, gaudebis et alacriter obedies : in posteriore contristaberis, mussitabis, aut forte etiam rationes afferes ad declinandam obedientiam. Si autem ut filius

Dei et vir obedientiae, Spiritu Dei ageris, solam Dei voluntatem, quaecumque illa sit, amabis, et in ea laetus conquiesces. *Vir obediens loquetur victorias.*

Ex obedientia Sancti Joseph, si socius es Jesu, et alium fructum colliges. In 3 reg. Summ. dicitur : « Nostrae vocationis est » diversa loca peragrare, et vitam agere in » quavis mundi plaga, ubi (non magis jucun- » dum nobis sit habitare aut magis honorifi- » cum, sed ubi) majus Dei obsequium et ani- » marum auxilium speratur. » Quod de plagis mundi dicitur, et de domibus in aliqua plaga intelligendum; nec nostrum, sed Superiorum nostrorum est judicare ubinam majus Deo obsequium praestare possimus.

Contemplare S. Joseph assumentem Puerum, Matrem ejus et, ceteris relictis, artis suae instrumenta. Noctu, quamvis defuncti sint qui quaerebant Puerum, ex prompta obedientia, nemini valedicentes, proficiscuntur. Sequere eos cum humilitate, amore et obsequio : admirare eorum paupertatem, modestiam, resignationem et pacem.

Tertium punctum. — *Tertio,* ait S. P., *quia regnabat Archelaus, filius Herodis, in Judaea, refugit in Nazareth.*

Matth. ait : *Audiens autem quod Archelaus*

regnaret in Judaea pro Herode patre suo, timuit illo ire, et admonitus in somnis, secessit in partes Galilaeae. Et veniens habitavit in civitate, quae vocatur Nazareth : ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas : Quoniam Nazaraeus vocabitur.

Angelus dixerat Joseph : *Vade in terram Israel;* non designaverat locum in specie, quem tamen erat postea indicaturus. Interea relinquit Deus sancto Joseph ut per prudentiam et orationem divinam quaerat voluntatem. Audiens quod regnaret in Judaea pro patre suo Archelaus, *timuit illo ire.* Primo igitur cogitabat de Judaea, immo de Jerusalem, quae Christo videbatur melius convenire, et in qua erat Templum Domini : At timuit ne Archelaus patrem imitaretur et similiter quaereret natum Regem Judaeorum. Non igitur ingressus est Judaeam, sed anceps quo tenderet, Deum consuluit accepitque responsum. Iterum *admonitus in somnis, secessit in partes Galilaeae; et veniens habitavit in civitate quae vocatur Nazareth;* quem locum divina Providentia signaverat per Prophetam : *quoniam Nazaraeus vocabitur.*

Ita Deus per Superiores sua implet consilia; quae quidem initio obscura saepe sunt, at in decursu, per improvisa atque a divina Providentia immissa auxilia manifeste tandem

clarescunt, et plenam Dei aperiunt voluntatem. Sed ad hoc duo in Superiore requiruntur : ut scilicet prudenter agat, quasi omnia a ratione penderent, dein ad Deum recurrat, ac si omnia essent per orationem obtinenda. Fuit haec S. Ignatii methodus, qui in primis et eminenter vir *rationis* fuit et *orationis;* ratione enim et oratione non solum Institutum suum aedificavit, sed et Societatis suae universae administrationem gessit. Hanc methodum omnibus Societatis Rectoribus communem esse voluit. Talem enim (CONST. P. 4.) rectorem constitui vult, qui *donum discretionis habeat, qui sit ad gubernandum idoneus, in rebus agendis* et in rebus spiritualibus versatus : sed *in primis,* ait, *Rectoris officium erit, oratione et sanctis desideriis totum collegium velut humeris suis sustinere.* Et revera cum Superior non suo, sed Dei nomine, gubernet, requiritur ut non sola sua ratione utatur, sed et a Deo, pro quo legatione fungitur, quae facienda sint ediscat.

Et veniens habitavit in civitate quae vocatur Nazareth. Cur hanc sibi Jesus civitatem elegit? 1. Quia humilis erat et abjecta, ideoque humilitati ejus amabilis. Quo sensu Nathanael dixit postea ad Philippum : *A Nazareth potest aliquid boni esse?* (Jo. 1, 46). 2. Quia ibi

nata erat Mater ejus sanctissima, et ipsemet in ea fuerat de Spiritu Sancto conceptus. 3. Quia tutior ibi erat a persequentibus se. 4. Quia ipso suo nomine et natura imaginem aliquam Jesu et Matris ejus Nazareth referebat. *Nazareth* enim duplicem sensum habet qui utrique convenit : significat enim *primo : separatum,* dein *consecratum,* (ideoque *Sanctum*); quae ultima vox *sanctum* duas priores continet; nam perfecta hominis sanctificatio vel sanctitas in hoc posita est ut a creatis rebus animo separetur, atque soli Deo adhaereat, eique consecretur. Quod B. Virgo a quibuscumque creaturis fuerit segregata et Deo penitus et unice consecrata, id patet ex ejus electione, ex immaculata Conceptione, ex perfecta vitae innocentia, et Maternitate divina. Christus autem qua homo, separatus ab omni alia re, hypostatice totus unitus fuit Verbo. *Secundo.* Nazareth idem sonat ac *floridus,* a flore; vel germinans, a germine. Hoc nomine enim vocatur Christus apud Isaïam XI, 2. : *Et flos de radice ejus ascendet :* de qua vero radice? de B. Virgine : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet.*

Sensum utrumque conjunxit Psaltes (131, 18) dicens : *Super eum autem efflorebit sanctificatio mea.* Ubi enim sanctitas efflorescit,

efflorescunt virtutes omnes. Floridi autem et humilitate amabilis nostri Jesu humilis et florida Nazareth imago fuit. De ea namque ex Hieronymo, Eusebio et aliis ita dicit Adrichomius in descriptione terrae sanctae : « Nazareth, quod interpretatur flos, pul» chra ac florens Galilaeae civitas est. Ca» pharnaum urbi subjacens, aedificata super » montem, quem coronae instar ambit, dua» bus leucis a monte Thabor, trium autem » dierum itinere ab Jerusalem distans. Hic » B. Maria, candens flos virginum nata est. » Hic Christus Dominus noster et Salvator, » gloria et corona nostra, ut flos campi nasce» retur in flore virtutum, conceptus et educa» tus est... Unde et civitas haec civitas sua et » patria sua : ipse vero Nazarenus, seu Naza» raeus et Galilaeus appellatus est. »

Comitare sanctam familiam euntem in Nazareth, contemplando personas, verba et opera; ingredere cum ea civitatem. Quid ibi quaerit Jesus, quid ibi invenit? Summam paupertatem, contemptum, obscuritatem et vitam absconditam; ibi usque ad annum vitae suae trigesimum, quam studiosissime suam occultabit divinitatem, ac curabit ut pro ignoto ignoti fabri filio toto illo vitae suae tempore habeatur et aestimetur.

An incipiunt aperiri oculi tui? an tenui saltem rimula incipis margaritam illam, cujus inaestimabile pretium est, et pro qua merito omnia vendas, intueri? An incipis ad exemplum Christi, B. Virginis, S. Joseph et Sanctorum omnium, amare nesciri et pro nihilo reputari?

In fine colloquium et *Pater noster*.

Quarta dies

(Sumere, ait S. P., *pro prima et secunda contemplatione) quomodo puer Jesus erat obediens suis parentibus in Nazareth : infra (inter mysteria vitae Domini Nostri) : et quomodo postea invenerunt illum in Templo, infra (ibidem) et ita consequenter facere duas repetitiones, et applicare quinque sensus.*

Plerumque dicitur Sanctum Patrem nostrum intervertisse hic ordinem historicum, siquidem, ut aiunt, Evangelista primo loco ascensum in templum memorat, deinde tantum vitam absconditam. Sed si penitius res inspiciatur, patebit nequaquam *rerum ipsarum* ordinem interverti, sed potius ascensum in templum historice interponi; nam vita abscondita a prima infantia Jesu incipit et pergit

usque ad vitam publicam : in decursu autem vitae absconditae fit prima vice anno nostri Jesu duodecimo ascensus in templum; et ea omnia quae de obedientia, profectu et laboribus Christi dicit Evangelista, ad annos priores duodecimo aeque conveniunt ac sequentibus. Rem si ita non intellexisset S. P., non dixisset : quomodo *postea invenerunt illum in Templo.* Totam igitur vitam Christi absconditam, quae unius tenoris est, uno conspectu complectitur; dein ascensum interponit.

PRIMUM EXERCITIUM

Vita Christi Jesu abscondita

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum erit in memoriam adducere quomodo Jesus ab infantia sua usque ad annum trigesimum vitam absconditam duxerit, parentibus suis in omnibus obediens; sapientia, et aetate et gratia proficiens, atque, ut videtur ex Marco evangelista, fabrilem artem exercens.

Secundum praeambulum erit videre visu imaginationis interiorem domum nazarethanam, officinam primo S. Joseph, dein, interius cubiculum in quo B. Mater rei domesticae

vacabat; et tandem, cetera ad dormiendum destinata.

Tertium praeambulum idem erit quod in praecedentibus mysteriis.

Primum punctum. — Post Praesentationem *reversi sunt in Galilaeam in civitatem suam Nazareth;* et post ascensum in templum, cum parentibus Jesus *descendit et venit Nazareth :*

Vita communis et abscondita. Cum magna reverentia ingredere domum nazarethanam et omnia contemplare : nil reperis quod non in omni pauperrimorum opificum domo invenias; et primo quidem vide S. Joseph in officinula sua, more operariorum succinctum, et in sudore vultus laborantem; vide et scamnum atque instrumenta laboris pauca et vilia : contemplare dein succinctam ad opus Matrem Dei, et Jesum ut filiolum operarii vestitum. Munda quidem in hac domo sunt omnia et bene ordinata, sed communia omnia et paupertati accommodata.

O mysterium, quod infinita Sapientia, quod Deus homo factus, qui mundum doctrina sua illuminaturus et servaturus venerat, per triginta integros annos in tam vili conditione delituerit, tres autem tantum Apostolico ministerio, ad quod missus erat, impenderit! Ergone tantum est pretium, tanta est humili-

tatis necessitas? Hanc autem humilitatem et abjectionem tanti fecit Dominus, ut per triginta annos ne signum quidem ullum suae divinitatis dederit, adeo ut propinqui ipsi ejus post triginta illos annos ne suspicarentur quidem ipsum esse Deum, sed pauperem filium pauperum parentum eum existimarent. *Sic coepit facere,* postea docturus : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (Matt, 11, 29). — Vere tu es Deus absconditus. Sic Apostolicos viros docuit apostolatui praemittendam esse sui ipsius abjectionem et contemptum : nec aliter divina reparatur gloria, nec aliter salvari homines possunt.

Sed et alios, majorem scilicet hominum partem, qui in duris et ignobilibus laboribus vitam terunt, obscura sua et abscondita vita docere ac solari voluit. Hos, utpote pauperes, humiles ac miseros prae ceteris Filius hominis adamavit. *Amor autem aut similes invenit aut facit.*

An nunc pretium vitae absconditae intelligo? An mihi in desiderio est, an mihi statutum est, in ferendis omnibus injuriis, ac omni vituperio, immo et in actuali ac reali paupertate Christum imitari?

Obedientia, quae in Christo expressa forma fuit humilitatis. *Et erat subditus illis.*

Contemplare Jesum, Creatorem mundi ac rerum universarum Dominum, creaturis suis, Mariae et Joseph, prompte et ad nutum, cum profundissima humilitate ac reverentia obedientem; solus in sancta familia nullum exercet imperium; Maria imperat Filio et obedit Josepho, Josephus autem nemini obedit nisi Deo, a quo quamvis dignitate, sanctitate, sapientia et merito suis inferior, in potestate tamen est constitutus. Sanctitas autem meritum et dignitatem parit coram Deo. Porro S. Joseph magnus erat coram Deo, quia valde humilis; sanctior erat Maria, quia humilior; sanctissimus erat Jesus, quia humillimus.

Igitur qui hoc intellexerit, non conqueretur quod in obscuro loco ponatur et relinquatur; quod a suis Superioribus negligatur, cum aut animae dotes, aut scientiam habeat. Quis majori ingenio aut sapientia polluit quam Jesus? aut quod opus excellentius esse potest Redemptione mundi, ad quam procurandam venerat, quamque per annos triginta negligere et omittere visus est? Quamvis illud opus non solum non neglexit, sed per absconditam vitam promovit quam maxime. Etenim postquam superbia hominem perdiderat. non nisi humiliatione redimi ac servari homo potuit. Ideo divinus Servator totam fere

vitam in humiliatione sola consumpsit; quae humilitas propter infinitam Christi personam pretii fuit ad mundum redimendum infiniti. Quod verum est in Jesu, id et in ejus coadjutoribus, servata proportione, verum quoque et indubitabile est. Quantus erit multorum concionatorum stupor, cum ab aeterno Judice conversiones, de quibus illi forte gloriabantur, non concionatori sed precibus, humilitati, simplicitati humilis mulierculae attribuentur! Unde Jesus rem et nomen Jesu consecutus est? *Humiliavit semetipsum, factus obediens.*

Secundum punctum. — *Et Jesus,* ait Lucas, *proficiebat sapientia et aetate, et gratia, apud Deum et homines.* Quamvis S. P. duo tantum puncta proponat, nil impedit quominus verba modo citata particulare punctum constituant.

Proficiebat. — Non in se, quatenus Filius Dei, proficiebat, quia ut Deus sapientiam et gratiam habebat infinitam; quatenus autem homo, nec profecit *infusa* sapientia et gratia; nam a primo instante conceptionis plenitudinem sapientiae et gratiae, ut decebat propter unionem hypostaticam, accepit, quae quoad habitum nunquam crevit : ergo Christus quatenus Deus et quatenus in humana natura incarnatus, nunquam crevit aut profecit, ita

ut *Ipse* majoris sapientiae, gratiae et meriti esset quam ante fuisset; sed quoad naturam humanam quam in se assumpserat crevit ac profecit hoc sensu quod 1° majorem procedendo scientiam *experimentalem* accepit, v. g. cum sensit actu dolores crucifixionis, quos antea nondum erat expertus. Hinc Apostolus de Christo ait : *Didicit ex eis quae passus est obedientiam* (Heb. 5, 8). 2° Proficiebat humana natura, ut apprime exponunt S. Athanasius et S. Cyrillus, quorum prior sic loquitur : « Ita enim augescente magnitudine corporis, » una crescebat in eo divinitatis manifestatio; » innotescebatque apud omnes ipsum esse » templum Dei, Deumque in ejus corpore » existere. » Eamdem sententiam proponit Cyrillus hic verbis : « Non ergo *ipse,* sed hu- » mana proficiebat natura. Nam dum in dies » in ipso deitas manifestaretur, mirabilior et » sapientior videbatur. Proficiebat autem in » ipso natura humana hoc modo : Assumpsit » Sapientia Dei, hoc est Filius Dei, nostram » naturam, paulatimque tum verbis, tum » factis deificationem assumpti hominis reve- » lans proficere ipsum (assumptum hominem) » revelando faciebat. » Ut scilicet, ait Corn. a Lap., suam deitatem revelaret, exercendo in dies majores sapientiae et gratiae operatio-

nes, quas ei suggerebat ipsa ei assistens Divinitas; unde ex ipsis illa ab hominibus agnoscebatur, sicut anima latens in corpore agnoscitur per vitales et animales operationes quas in dies majores per corpus exercet. 3. Ergo quatenus Filius Dei, non proficiebat Christus, et actus ejus in quantum ab ejus persona divina exercebantur, meritum infinitum habebant; quatenus autem Filius erat hominis, proficiebat, et ex numero et ex excellentia actuum suorum, quatenus erant actus humani; inde et merita illa omnia quibus aeternam suam promeruit Salvatoris gloriam; nam gloriam illam totam eodem modo consecutus est, quo et nos consequimur nostram; quod autem actus fuerint alii aliis excellentiores, dubium non est; excellentior certe fuit totius sanguinis in cruce profusio quam fuerant guttae aliquae in circumcisione effusae. Profectui autem cumulus accessit in Passione et maxime in Calvario, in quo dicere potuit : *Consummatum est.* Hoc sensu S. Ignatius proficientem Jesum imitationi nostrae proponit, quatenus scilicet Filius hominis est : pari modo in contemplatione de Regno Christi, proposuit eum ad pugnam properantem et ad gloriam : *Mea voluntas est... et ita intrare in gloriam Patris mei :* quod vero,

sicut et nos per similes nostris actus, meruerit, id patet ex verbis quae sequuntur : *Proinde qui voluerit venire mecum, debet mecum laborare, ut sequens me in poena, etiam sequatur me in gloria.*

Jesus proficiebat sapientia. 1° Quatenus divina ejus sapientia infinita in dies magis exterius apparebat; sic et sol, cujus lumen idem semper in se est, nobis autem continuo a mane usque ad meridiem crescere videtur.

2° Quatenus sapientia Sanctorum scientia est, non theorica tantum, sed et practica, in ea utique Christus in dies verbis et actibus proficiebat. In hoc enim sapientia illa consistit, ut homo ex una parte, tum finem suum supernaturalem cognoscat, tum media quibus eum consequatur, rite adhibeat; ex altera parte ea omnia quae fini illi obstant similiter cognoscat et fugiat. Jam vero Christus in dies magis ac magis scientiam illam cognitione et praxi exterius per actus manifestabat, indeque proficiens imitandum nobis exemplum perhibebat. Sic semper magis ac magis, et eorum omnium quae in mundo sunt contemptum exhibebat, et caelestia ac divina amplectebatur : Sic et magis ac magis in dies, paupertatis, opprobriorum, dolorum, charitatis, ceterarumque virtutum omnium amans

videbatur. In hoc autem mihi est imitabilis.

Jesus proficiebat aetate. Ad quid profectus illius, qui omnibus omnino hominibus, sive piis sive impiis, communis et necessarius est, mentionem facit Evangelista, eumque nobis imitandum S. P. proponit? non utique ut grandientem per additionem annorum Christum admiremur, sed ut longam ejus in vita humili, abscondita, subjecta, perdurationem et perseverantiam advertamus.

Ex aestimatione namque et affectu obscuram istam et ignobilem conditionem per totam ferme vitam suam sibi Christus elegit. Nonne et de te hic dici potest : *Qui ambulabas in tenebris, vidisti lucem magnam?* (Is. 9. 2.). Quantum praeterea plerisque hominibus qui in simili statu vivunt, solatium dedit et exemplum! Quod exemplum simul et solatium omnibus vitae aetatibus praebere voluit, pueris, adolescentibus, juvenibus et viris.

In domo autem nazarethana Regularibus quam maxime, vitae ejusdem semper tenoris cum crescente semper in virtutibus profectu, suo exemplo amorem commendavit. In primis quippe vitae religiosae temporibus nova sunt omnia, indeque portabiliora; sed decurrentibus annis, jugi uniformitate, et pondus magis sentitur, et quandoque virtutes, misere

decrescunt, nedum augeantur. Porro « Quid » prodest diu vivere, ait Th. Kemp., quando » tam parum emendamur? Ah! longa vita » non semper emendat, sed saepe culpam ma- » gis auget. Utinam per unam diem bene » essemus conversati in hoc mundo! Multi » annos computant conversionis, sed saepe » parvus est fructus emendationis. »

Jesus proficiebat gratia *coram Deo et hominibus.* 1. Profecit gratia, perfectiores in dies virtutum actus exercendo, ita ut exterius appareret, quod in re tamen non erat, continua in eo fieri gratiae incrementa.

2. Proficiebat gratia, quia in dies gratiosior fiebat et amabilior, idque duplici ex capite : primo, quia Divinitas quae infinite gratiosa et amabilis est, magis ac magis humanitatem Christi invadebat exterius, et quasi in se transformabat; secundo, quia virtutes quae sunt decor et pulchritudo animae, immo magna ex parte et corporis, continuo crescere in eo videbantur.

Contemplare Jesum in sancta familia : contemplare modestiam ejus plane divinam, atque caelestem vultus, corporis, aspectus, motuum omnium compositionem, silentium ejus, ejus in loquendo parcitatem, moderationem, humilitatem; contemplare ejus man-

suetudinem : sui semper similis, semper aequalis, nec unquam motui alicui inordinato obnoxius, comis semper erat et blandus, omnibus affabilis, simplex, apertus et candidus. Finge tibi, nunc istas omnes illecebras in dies per triginta annos sine intermissione crevisse exterius, et intelliges nonnihil quantum novis ac novis semper amoris flammis corda Mariae et Joseph arserint; intelliges et cur appellatus sit Jesus *magnes cordium*, et de eo dictum fuerit : *Eamus ad suavitatem.*

Felix ille, cui suavitas illa revelatur! Felices Apostoli, qui eam in suo fonte degustarunt! Felices Martha et Maria, felix Theresia! Felices Ignatius et ejus filioli Aloysius, Stanislaus et Joannes!

Intellige nunc quo sensu et te, ad exemplum Jesu, proficere velit Ignatius :

1. In te quoque, quamvis non substantialiter sicut in Jesu, per adoptionem tamen et gratiam, Divinitas inhabitat. *Si quis diligit me sermonem meum servabit, et Pater diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* (Jo. 14. 13.) De Spiritu Sancto ait Paulus ad Gal. : *Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem : Abba, Pater*, (Gal. 3. 6.) Ergo Deus, ergo Spiritus Filii in justis est, et in corde

nostro clamat : *Abba, Pater,* ita ut actus nostros dirigat atque inspiret, sicut anima nostra corpus nostrum animat, movet ac dirigit. Quid igitur tibi agendum, ut sicut Jesus quotidie proficias? Ita te a sancto Jesu Spiritu sine moveri ac duci, et in te appareat magis ac magis inhabitans in te divinitas, sicque in dies deificeris : *Ego dixi : dii estis, et filii Excelsi omnes.* (Ps. 8.) ast hoc non fiet, nisi regi te a Spiritu Jesu siveris, qui Spiritus amoris, humilitatis, mansuetudinis et abnegationis est : Nam *qui Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.* (Rom. 8. 14.)

2. Ad hoc, duo praesertim, eaque maxime necessaria, conducunt : primo, spiritus orationis; secundo, magna in vincendo teipsum fidelitas et generositas. Utrumque in titulo Exercitiorum complectitur S. P. : *Exercitia spiritualia, ut homo se vincat.* Ex his duobus virtutum actus, velut radii inhabitantis Solis justitiae, emicabunt, et dicere poteris : *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus.* (Gal. 2. 20.)

Tertium punctum. — *Jesus videtur,* ait S. P. *exercitasse artem fabrilem, ut indicat (insinuat) S. Marcus.* (C. 3.) : *(Nonne hic est faber?)*

Quod autem fabrilem Christus artem exercuerit, ex citato loco vix dubitari potest; nemo

quippe dicet Jesum triginta annos in otio traduxisse; ast cum litteras non didicerit, quas, utpote Deus, perfectissime noverat, non nisi paterno labori vacare potuit; quod autem hoc fecerit satis liquet ex ipso propinquorum ejus testimonio : immo, mortuo Josepho successerat, et fabrilem officinam in se assumpserat; ideo *faber* hic vocatur et, defuncto patre nutritio, *filius Mariae. Et multi admirabantur in doctrina ejus, dicentes : Unde huic haec omnia? et quae est sapientia quae data est illi : et virtutes tales, quae per manus ejus efficiuntur? Nonne hic est faber, filius Mariae?* Ergo, qui per tot saecula expectatus Filius Dei genus humanum ab aeterna damnatione servaturus venerat, atque ad homines per praedicationem erudiendos, totam ferme vitam, non in sacro ministerio, sed in labore, tum fabrili, tum domestico transegit! Cur? Scil. 1. ut voluntariae humiliationis necessitatem ostenderet; idcirco non obscuritate tantum vitae et obedientia, sed et abjectissimis occupationibus humiliari voluit. 2. Ut operariis solatio esset, et labores eorum nobilitaret. 3. Ut nos doceret opera nostra, non ex natura sua, sed ex Dei voluntate et ex intentione nostra suum pretium ac meritum haurire. Aeque enim Christus divinae Majestati placuit, eamque glorificavit,

cum ex obedientia, aut ligna tractaret, aut curaret in domo munditiem, quam cum postmodum ex eadem obedientia praedicavit et patravit miracula. Quantum inde solatium iis qui similibus a suis Superioribus ministeriis deputantur!

In fine *colloquium*, et *Pater noster*.

SECUNDUM EXERCITIUM

De ascensu Jesu in templum

Gradus hic fit ad altiora. Nil in praecedentibus mysteriis est, quod omnibus omnino Christi discipulis, hoc est omnibus Christiano nomine dignis non sit applicandum. Magna quidem et valde magna illa priora sunt : Quis enim rem parvam aut mediocrem esse dicat, sustinere cum Christo rerum egestatem, atque ejus humilitatem, obedientiam, modestiam, charitatem aemulari? Quis praesertim mediocrem dicat eam animi dispositionem ac determinationem ad imitandum ex amore Christum in ferendis omnibus injuriis et omni vituperio, atque ad amplectendam, si Deus voluerit, actualem paupertatem? Porro ille qui integra hucusque fecit Exercitia, vel eas omnes animi dispositiones est assecutus, vel non. In

hoc ultimo casu, nec idoneus aut dispositus est ad vitam religiosam et apostolicam, nec ab eo magna expectari aliunde possunt. Igitur non est ex iis quibus integra concedenda sint Exercitia; atque etiamsi utilitatem nonnullam ex longo illo stadio referret, erit profecto ad majorem Dei gloriam utilius aliis majoris momenti subjectis pretiosum Nostrorum tempus impendere. Talibus tamen quaedam Exercitia ex illis quae a S. P. leviora vocantur, tradi poterunt, inter quae numerari censentur, utpote ad reformationem valde efficacia, meditationes de duobus Vexillis et de tribus binariis.

In primo casu, cum exercitans conditiones omnes a S. P. requisitas habeat, secundam hebdomadam, prout jacet, cum magno fructu decurret, et electionis negotium magna cum alacritate aggredietur. Nam reliqua omnia quae in hac altera secundae hebdomadae parte continentur, ad suadendam aptis atque idoneis religiosae et apostolicae vitae electionem comparata sunt. Proxima autem ad tanti momenti determinationem praeparatio subministratur in contemplatione de Ascensu Christi ad templum; qua in occasione parentes suos relinquit Jesus, ad tempus quidem hac vice, sed olim in summa eos relicturus,

ut in iis quae Patris sui sunt unice tandem occupetur.

Primum praeambulum erit revocare in memoriam, quomodo duodennis Christus, ut legi libere satisfaceret, ad templum hierosolymitanum cum parentibus oraturus ascenderit, iisque se in reditu subtraxerit, atque in templo ab eis inventus fuerit in medio doctorum.

Secundum praeambulum erit, videre viam quae ducit a Nazareth in Jerusalem, et interiora templi.

Tertium praeambulum, iterum idem.

Primum punctum. — *Primo,* ait S. P., *Christus Dominus, natus annos duodecim, ascendit a Nazareth in Hierusalem.*

Lucas ait : *Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem in die solemni Paschae. Et cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Jerosolymam secundum consuetudinem diei festi etc.* Quotannis quidem Christus nunquam separatus a parentibus vel deferebatur, vel ibat in templum : hunc autem duodecimi anni ascensum in specie Evangelista commemorat, quia tunc tantum solus remansit in Jerusalem.

Magna cum reverentia, cum magno amore et gaudio personas sequere et contemplare, Jesum, Mariam et Joseph. Peregrini, qui

pariter tendunt ad templum, ad eos non attendunt, quia pauperes sunt, nec qui sint suspicantur; tu vero eos et nosti et amas. Considera eorum humilitatem, paupertatem, modestiam, charitatem, contemplationem et amabilitatem; considera S. Joseph et B. Matrem tenentes manus Jesu in medio eorum incedentis : Quanto cum amore Jesum intuentur, quanto cum amore respicit eos Jesus! Lege in corde Jesu quid de Matre sua immaculata et Virgine sanctissima sentiat. *Tota pulchra es, Mater mea, et macula non est in te : oculi tui columbarum;* quid de humillimo, de purissimo, de amantissimo et devotissimo Patre suo nutritio, virginitatis Matris suae custode fidissimo, qui pro ipso tantum laborabat et patiebatur : quid rursum S. Joseph, quid Maria sentiant de suo Jesu? Tu vero de illis quid sentis? Admirare eorum in itinere victum, lectum, fatigationem : admirare et obedientiam. Cum soli viri visitare quotannis templum in tribus majoribus festis lege tenerentur, lege solus S. Joseph ligabatur.

Christus in templo. Contemplare sanctam familiam templum Domini ingredientem, domum scilicet totius orbis sanctissimam, Deo vero consecratam atque divinae potentiae miraculis illustratam. Quanta Mariae et

Joseph reverentia, quanto major reverentia Jesu, qui utpote Deus noverat infinitam Dei majestatem! Quatenus autem homo, intelligens esse se nihil coram Creatore ac Domino, exinanibat sese. Ipsemet in S. Scriptura de domo Dei dixerat : *Quam terribilis est locus iste! vere non est hic aliud nisi domus Dei et porta caeli* (Gen. 28, 17). Genua flecte, adora et contemplare qua humilitate, quo amore ac fiducia Patrem suum Jesus orando alloquatur : *Pater sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum; fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra.*

Sed quid templum Jerosolymitanum, si cum ecclesiis nostris, in quibus Filius ipse Dei corporaliter praesens est, comparetur? O utinam vivam fidem haberem! si scirem donum Dei, et quis est qui dicit : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos!* (Matt. 11, 28). An merito dicere possum : *Concupivit et deficit anima mea in atria Domini;* et : *Quemadmodum cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima ad te Deus.* (Ps. 41, 2.) Quam forte tardus fui ad visitandum SS. Sacramentum! quam negligens in ipsis visitationibus et oscitans! Nonne me respiciebat Jesus, cum aperiens Cor suum B. M. Margaritae, de irreventiis, tepore ac frigore

tot Christianorum coram sacra Eucharistia, tam dolorose, tam amanter conquerebatur?

Secundum punctum. — *Secundo,* ait Ignatius, *Christus Dominus noster mansit in Hierusalem, et nesciverunt parentes ejus.*

Lucas autem sic ait : *Consummatisque diebus, cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes ejus. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, et requirebant eum inter cognatos et notos.*

Quod postmodum eos qui sibi in ordine ad vitam perfectam atque apostolicam vellent adhaerere, docturus erat, hoc jam ipsemet exemplo suo exequitur : *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus* (Luc. 14, 26). Sicut enim venerat, non ut amore ejus Maria et Joseph fruerentur aut eorum ipse frueretur consortio, sed ut divinae gloriae et omnium hominum saluti sese impenderet, eamdem abnegationem non ab omnibus, sed ad iis praedilectis, qui erga eum *magis affici, et insignes se exhibere in omni ejus servitio volent,* requirit. Iis vero qui Christum sequi simpliciter, et aeternam salutem consequi voluerint, sufficiet odisse patrem et matrem in quantum impediant a praescripto

Dei servitio; ast a magnanimis sui amatoribus, omnium omnino rerum hujus mundi et sui ipsorum renuntiationem exigit. Oportet enim eos cum Petro dicere posse : *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Qui hoc fecerint, responsum et ipsi a Christo accipient : *Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me,* ut socii scilicet apostalatus mei, *in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel* (MATT. 19, 28); scil. sicut in omni servitio insignes fuistis et coadjutores mei in opere Redemptoris, ita et regalis meae gloriae ac potestatis eritis in caelo participes. *Ut sequens me in poena, etiam sequatur in gloria.* Ii vero qui propriae tantum perfectionis cupidi insignes in colenda virtute esse voluerint, *(si vis perfectus esse),* et propterea a terrenis omnibus et ab hominum turba propter Deum se segregaverint, congruam et ipsi, quia insignes in perfectione sua fuere, ac praeclaram gloriae et felicitatis partem accipient : *Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit.* (MATT. IB.)

De hac renuntiatione agens (reg. 8 Summ.),

quam amans, quam tener ac simul quam sublimis est, pro genio et sanctitate sua Ignatius, cum ait : *ut qui mundo ac proprio amori mortuus, Christo Domino nostro soli vivit, eumque loco parentum, fratrum, et rerum omnium habet!*

Sciebat utique Jesus et intime sentiebat quem dolorem cordi Matris suae dilectissimae et amantissimo S. Joseph esset inusturus; nihilominus illum, et sine ullo lenimento, inussit, ut nimirum eos qui ad divina a Deo vocantur, vincere affectum omnem carnalem suo exemplo doceret. Quid sunt carnales affectus, si cum amore quem Deo debemus, comparentur? *Patrem nolite vocare vobis super terram : unus est enim Pater vester qui in caelis est* (MATT. 23, 9). Voluit pariter ei, qui ad vitam religiosam et apostolicam vocatur, ostendere, non tantum propter parentes a vocatione non esse recedendum, sed ab iis quoque in tali vocatione consilium peti non debere, quia pessimi essent, ob saeculi hujus curas et naturalem affectum, consiliarii; ideoque Christus suos, tales tamen, parentes nec consuluit, nec praemonuit. *Remansit puer Jesus in Jerusalem, et* NON COGNOVERUNT *parentes ejus.*

Quomodo autem non cognoscere potuerunt? Multi scilicet ex cognatione S. Joseph, inter quos probabiliter Cleophas frater ejus,

atque hujus filii et filiae, Salome, Maria, Jacobus minor, Joses, Judas et Simeon aderant; multi etiam noti, ut patet ex verbis : quaesierunt eum *inter cognatos et notos;* jam vero solebant viri seorsim et mulieres seorsim in hac peregrinatione procedere; fieri ergo potuit ut B. Virgo Jesum existimaverit esse cum S. Joseph inter viros, potuit et Joseph existimare eum cum Matre sua esse inter mulieres. « Quod si haec causa non probatur, ait Suarez, quia non satis constat solere uxores » separatas a viris in domum redire, certe » non est difficile intelligere, facile fuisse » puero Jesu, sine culpa et negligentia parentum, a via deflectere, (propter cognatos et » comitatum)... quod eo facilius accidere potuit sine culpa parentum, quod ipsi minus » erant solliciti, quia filii virtutem et sapientiam agnoscebant, nihilque sine illius voluntate advenire posse certo sciebant; et » ideo B. Virgo illi dixit : *Fili quid fecisti » nobis sic?* Significans illud non potuisse, » nisi ex voluntate Christi evenire. » Quidquid sit, voluit Christus remanere, idque, quocumque modo id factum fuerit, insciis et, per consequens, nulla in re, sontibus parentibus. Minuta illa non tenebatur Spiritus Sanctus edicere : denique attende verba *existiman-*

tes eum esse in comitatu. Quid parentes timere potuissent, cum scirent Jesum esse Deum, eumque suis colloquiis non parum prodesse posse cognatis et notis?

Ubi vero, probabiliter vespere, post iter unius diei, adverterunt non adesse Jesum, quantus fuit eorum dolor! Confirmati certe uterque erant in gratia : sed quum Deus id eis non revelasset, coeperunt, ut pronum est Sanctis, sine causa accusare se, ac se indignos agnoscere qui diutius cum Filio Dei conversarentur. Tunc recordati sunt verbi Simeonis : *Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit.* Forte jam patietur Jesus : forte jam in manus inimicorum incidit! quam saevus illa cogitatio gladius fuit, si attendatur qualis Mater fuerit Maria, et qualis Jesus fuerit filius. Contemplare illam, non turbatam quidem, quia divinam in omnibus voluntatem et agnoscebat et amanter adorabat, sed ob immensum sui Jesu amorem, dolore crudeliter oppressam, et quaerentem cum S. Joseph Filium suum inter cognatos et notos : *Per noctes quaesivi quem diligit anima mea; quaesivi illum, et non inveni. Surgam, et circuibo civitatem : per vicos et plateas quaeram quem diligit anima mea : quaesivi illum et non inveni. Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem :*

Num quem diligit anima mea vidistis? Adjuro vos, filiae Jerusalem, si inveneritis dilectum meum ut nuntietis mihi quia amore langueo (CANT. 3, 1, 4). Per tres dies ac noctes ita passa est dulcissima Mater, et cum ea ac pro ea S. Joseph custos Domini sui; quo autem magis supplicium producebatur, eo magis in horas crescebat et dolor. Atque haec sciens Jesus ac videns, permittebat tamen et ferebat propter gloriam Patris. Ex quo discat religiosus lacrymis etiam parentum non moveri, ut vocantem Deum sequatur.

Amittitur et a nobis diversimode Jesus. Quantum autem infortunium est per mortale peccatum amisisse Jesum, indeque divinam gratiam ac paradisum, atque aeternis inferni devoveri suppliciis! Peccator dicere non potest : *Num quem diligit anima mea vidistis?* Nam quem in corde suo crucifixit, obviam habere reformidat : misericors tamen Jesus quaerit eum : *Ubi es?* cui respondet ille : *Vocem tuam audivi, et timui, eo quod,* meritis et gratia *nudus essem, et abscondi me.* (GEN. 3, 10).

Amittitur etiam quodammodo Jesus ad tempus, sicut Mariae amissus est, quando scilicet consolatio spiritualis recedit, ut desolationi locum faciat. Imitanda tunc est Beatissima Virgo, quae licet esset afflictissima, nullam

tamen inde turbationem admisit, sed diu noctuque cum patientia et indesinenti sollicitudine Jesum quaesivit. Durum valde exilium illud est. « Esse sine Jesu, ait Th. Kemp., » gravis est infernus, et esse cum Jesu, dulcis » paradisus »; sed « Magnum est, et valde » magnum, tam humano quam divino posse » carere solatio, et pro honore Dei, libenter » exilium cordis velle sustinere : et in nullo » seipsum quaerere, nec ad proprium meritum » respicere. » Et hic igitur applicandum istud : *Vince teipsum.*

Tertium punctum sic ponit S. P. : *Elapsis tribus diebus, invenerunt illum disputantem in Templo, et sedentem in medio doctorum;* et interrogantibus illum parentibus suis, ubi fuisset, *respondit : (Nesciebatis quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse?)* Lucas autem ait : *Et factum est, post triduum invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum audientem illos et interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia et responsis ejus. Et videntes* (Maria et Joseph) *admirati sunt. Et dixit mater ejus ad illum : Fili, quid fecisti, nobis sic? ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te. Et ait ad illos : Quid est quod me quaerebatis? Nesciebatis quia in his quae Patris mei sunt, oportet me esse? Et ipsi non*

intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos.

Constringit hic S. P. Evangelii narrationem, et ea tantum eligit quae ad virtutes pertinent quas intendit : sic vox illa *ubi fuisset* quae non est in Evangelio et est interpretativa Evangelii, confirmat aliam vocem ejusdem Evangelistae : *Et erat subditus illis.*

Contemplare Mariam et Joseph dolorose quaerentes Jesum et tandem in templum ingredientes. Non invenit sponsa dilectum suum per vicos et plateas; nam in solitudine cordis invenitur Sapientia : *ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus* (Os. 2, 14). Non invenit eum *in lectulo suo;* nam Sapientia *non invenitur in terra suaviter viventium* (Job. 28,13); sed invenit in templo.

Cum B. Mater vidit Jesum sedentem in medio doctorum, ejus doloris lacrymae in lacrymas gaudii mutatae sunt : *Inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam* (Cant. 3, 4). Quam gaudens videt eum cum tanta sapientia interrogantem et disputantem inter doctores, ut hi *stuperent super prudentia et responsis ejus;* laetata tamen est propter gloriam Filii, non propter se; nec se ingessit exhibens se ut matrem ejus; sed humillime finem expectavit.

Ubi autem Jesus ad Matrem rediit, haec

dixit ei. *Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te.* Inspice Matrem, dum haec dicit, et ejus verba perpende. Species hic, sed species tantum habetur exprobationis; qualis nempe ad Deum dirigi potest, scilicet plena amore illo, qui in similibus adesse semper debet : *Fili.* Et ipsa vox *sic* quandam emphasim continet quae mirabilem spirat amorem. Ita in cruce Christus moriens, cum summo amore et summa reverentia, Deum Patrem bis nominavit, *Deus meus, Deus meus,* antequam diceret : *ut quid dereliquisti me?*

Intra in cor Mariae, eo momento quo tam tenere post triduum dolorosissimum dicit : *Ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te.* Ex humilitate primo loco nominat S. Joseph. Dum haec dicuntur, contemplare S. Joseph, et introspice cor ejus; vide quomodo in simplicitate et amore suo respicit Jesum.

Sentit quidem, sicut nunquam alius filius sensit aut sentiet unquam, Cor Jesu, omnium cordium tenerrimum et amantissimum, dilectissimorum parentum dolorem et amorem; sed humanos sensus omittens, respondet, non ut Filius hominis, sed ut Filius Dei : *Nesciebatis quia in his quae Patris mei sunt oportet me esse?* Nimirum in mundum venerat,

non ut grata parentibus faceret, sed ut Patris gloriam, per doctrinam et per exempla, repararet; ideo ad tempus nunc parentes neglexit, ut doctores et eos qui ibi aderant, divinitus edoceret. Sic omnis qui ad vitam religiosam et apostolicam a Deo vocatur, oculos a lacrymis propinquorum debet ad caelum erigere, et respondere : Nescitis igitur quia in his quae caelestis ac veri Patris mei sunt oportet me esse? Quid sunt terrestres parentes si cum Deo comparentur? et hoc quidem eo magis quod *inimici hominis domestici ejus* (MICH. 7, 6). Sic S. Joanna de Chantal, cum ejus filius se ad januam prostravisset, ut a matre, si pergeret haec ad coenobium, calcari deberet, calcavit eum intrepida mater. *Deus meus et omnia!* Si Ignatius, si Aloysius propinquis suis non obstitissent ut divinae voluntati obtemperarent, nec S. Aloysium haberemus, nec S. Ignatium, nec innumeros alios.

Addit S. Lucas : *et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos.* Intellexerunt autem postea. Sic et saepius parentes, ubi eis filiorum vocatio innotescit, caeci sunt, nec intelligunt : intelligunt autem postea; nimirum, si divinae cesserunt voluntati, gaudent de sanctitate et felicitate liberorum suorum; gaudent maxime in hora mortis, atque ineffa-

bilem percipiunt consolationem; si vero obsistunt ac divina consilia perturbant, intelligunt postmodum, sed ad suam perniciem, immo et in desperationem aguntur, dum vident eos qui ad sanctitatem destinabantur, in vitia prolabi et forte incidere in infernum.

In fine fiat vel unum, vel plura colloquia.

Postquam viam ita aperuit S. P., sequenti meditationi de duobus Vexillis breve aliquod praemittit praeambulum, quod summi momenti est, et Directori praesertim admirabilem Exercitiorum oeconomiam aedificationemque, prout eam S. Fundator in mente concepit, perspicuam exhibet.

PRAEAMBULUM

ad considerandos status

Praeambulum hoc cum magna luciditate, simplicitate et cura ita exponit S. P. :

Considerato jam exemplo, quod Christus Dominus noster nobis dedit pro primo statu, qui consistit in observantia mandatorum, dum Parentibus suis obediens erat, itemque (considerato jam exemplo, quod idem Dominus nobis dedit) pro secundo (statu) qui est perfectionis Evangelicae, quando remansit in Templo, relinquens Patrem suum adoptivum et Matrem suam naturalem, ut aeterni Patris sui servitio pure (unice) vacaret; incipiemus (hoc loco) simul contemplando ejus Vitam, investigare et petere, in quanam vita seu (in quo) statu divina sua Majestas nobis uti ad suum servitium velit.

Recordemur hic eorum quae jam exposuimus; scilicet, nemo est qui magnum ex Exercitiis S. P. verae sanctificationis fructum colligere non possit; sed ea, quoad qualitatem et quantitatem, pro natura, conditione, dispositione exercentis, tradenda sunt; hinc fiet ut pro magna subjectorum varietate magna etiam in modo tradendi exercitia futura sit varietas. Hinc etiam amplissima illa facultas intelligi-

tur quam Directori concedit S. P., et idoneitas et experientia quam in ipso supponit. At, si de integris, prout jacent, tradendis Exercitiis agitur, illa eis unice concedit, qui ad vitam religiosam et apostolicam apti videntur, aut saltem a quibus magna ad Dei gloriam et Ecclesiae utilitatem expectari possint. Ne quis tamen existimet eum unquam vocationes effingere voluisse, quae non a Deo procederent; sublimiora enim illa sunt quae ad statum religiosum et ad apostolatum pertinent, ut ab homine homini suadeantur aut imponantur. Christi ipsius est dicere : *veni, sequere me:* atque hic illud nonnihil convenit : *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron* (Hebr. 5, 4), et : *Quomodo praedicabunt, nisi mittantur?* (Rom. 10, 15). Fuisse autem hanc S. Ignatii sententiam, ex his apertissimis verbis apparet : *Incipiemus investigare et petere in quanam vita divina sua Majestas nobis uti ad suum servitium* velit.

Ast quoties evenit, ut homo vel non investiget et petat, vel per sua peccata se indignum et ineptum constituat, vel ex tepore et mala voluntate divinae praeordinationi non obsecundet? Quid igitur praestat Ignatius? Hoc nimirum, ut illis impedimentis occurrat eaque e medio tollat; id nempe efficit, ut, cum Dei

gratia, homo se praeparet ac disponat, ne sit *surdus, sed promptus ac diligens ad explendam sanctissimam Dei voluntatem*. Ad hoc a peccatis et ab omni affectione inordinata in prima hebdomada hominem emundat, ut divini luminis radios suscipere valeat; ad hoc dein in secunda hebdomada eum amore Christi incendit, ut cum gaudio et liberalitate audire possit: *Veni, sequere me,* nedum, sicut ille Evangelii juvenis, audita Christi voce tristis abeat.

Hinc si exercitans post illam de Ascensu Christi in Templum, nullam dispositionem ad altiora habeat, vult S. P. ut director, additis forte quibusdam levioribus exercitiis, eum ad bene in saeculo vivendum dispositum dimittat. Talis scilicet erit ex iis qui *fideles* vocantur, ac de quibus in secundo puncto alterius partis de Regno Christi, dicitur: *omnes qui habuerint judicium et rationem sanam, offerent se totos ad laborem.*

Si autem ex iis sit exercitans *qui magis affici (majori affectu esse) volent erga Christum Regem, et insignes se exhibere in omni servitio sui Regis aeterni ac Domini universalis,* hunc, utpote idoneum, director per cetera omnia Exercitia deducet.

Hoc igitur praeambulum quasi pontem indicat, qui vitam Christianam *communem* a

perfectiori separat; directoris autem est videre utrum illum pertransire debeat exercitans, an ibidem consistere. Duae illae vitae valde distincte a S. P. designantur : in priori, servantur mandata, in posteriori vero, relinquit omnia exercitans, ut, exemplo Christi et Apostolorum, Dei servitio vacet pure et unice. Utramque vitam juveni evangelico paucissimis verbis Jesus expressit : 1. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* 2. *Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus, et veni, sequere me* (MATT. 19, 21).

In utraque vita habetur Imitatio Christi, et, per consequens, fidelitas de qua in contemplatione Regni Christi : nimirum, in vita communi, per observationem mandatorum, referet homo Christum in tota vita abscondita obedientem : *Et erat subditus illis;* in vita autem perfectionis Christum imitabitur, relinquentem omnia, ut aeterni Patris sui servitio pure et unice vacet. Nota quomodo S. P. relationem utriusque parentis cum Christo rite distinguat : *Patrem suum adoptivum, et Matrem suam naturalem.* Nota et quomodo divinum, quoad vitae nostrae rationem, dominium asserat, et quomodo mera in manibus Dei instrumenta esse debeamus; quo jam insinuatur indifferentia illa, quae praevia

et necessaria conditio erit, ut sanctam Dei erga nos voluntatem et cognoscamus et exequamur.

Studium vocationis nostrae non unum exercitium aut plura exercitia specialia constituit; fit enim contemplando Vitae Christi mysteria. Nil tamen impedit, modo contemplationes non interrumpantur, quominus inter spatia exercitiorum vel considerationes circa vocationem fiant, vel rationes in utramque partem quaerantur et scripto notentur; immo talem laborem regulae electionis quae S. P. subjicientur, omnino supponunt.

Incipiemus... investigare et petere... Incipiemus quia electionem ipsam praecedant oportet meditationes de duobus Vexillis ac de tribus Binariis, contemplationes mysteriorum per octo dies, ac frequens trium modorum humilitatis consideratio. A quinta tamen die tradi debent exercitanti regulae electionis, quae a S. P. post tres modos humilitatis describuntur; ita ut electio sit totius secundae hebdomadae fructus et clausula. Interea, sicut concionator, antequam suam orationem componat, materiam meditando quaerit et confert, ita exercitans materiam electionis mente revolvit ac praeparat. Hujus autem praeparationis duplex est objectum : *investigare et petere.*

Quamdiu quis investigat, nondum invenit; inveniet autem, ubi laborem electionis ex professo conficiet. Inveniet utique, modo nunc sedulo investiget et oret : *Quaerite, et invenietis; petite et dabitur vobis* (Matt. 7, 7); regulas autem electionis Ignatio a S. Spiritu propositas in quaerendo observet.

Vocatio quidem Apostolica maxime et religiosa, a Deo veniat oportet. *Omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (Jac. 1, 17); sed eximia sua dona non solet Deus concedere, nisi illa homo investiget et petat. Primo igitur orandum ferventer et constanter, quasi omnia a sola oratione penderent : *Accedite ad Eum, et illuminamini, et facies vestrae non confundentur* (Ps. 38, 6). Ast oratio non sufficit; Deus enim, qui duplici oculo animam hominis instruxit, rationis videlicet et fidei, utriusque in labore electionis applicationem quae hominis cooperatio est, requirit. Proprio ergo marte non secus laborabit et investigabit exercitans, ac si per suum laborem omnia esset consecuturus. Quam sana, quam rationabilis hic iterum sit doctrina S. P. N., quis non videat?

Incipiemus... Initium autem investigationis nimirum et petitionis fiet a meditatione de duobus Vexillis, quae initium et quasi prin-

cipium ac fundamentum est totius investigationis, atque ideo a S. P. *introductio* appellatur. *Et ideo,* ait, *pro aliqua introductione hujus rei, in primo Exercitio sequenti videbimus intentionem Christi Domini nostri, et ex adverso oppositam intentionem inimici naturae humanae, et quomodo debeamus nos disponere, ut veniamus ad perfectionem in quocumque statu seu vita, quam Deus Dominus noster eligendam nobis dederit.*

Hic planissime nos docet S. P. quo haec de Vexillis meditatio tendere debeat. Tota res in ista voce *intentio* diversimode sive ad Christum, sive ad Luciferum applicata, consistit. Non enim hic attendendum est, nisi decipi velimus, ad grata naturae vel ingrata, quae ab utroque duce suadentur, sed ad eorum *intentionem,* scil. ad finem sive optimum, sive pessimum ad quem hominem *intendunt* adducere. Considerato autem utroque illo fine opposito, intelligemus quomodo nos debeamus *disponere.* Porro *intentio* Christi est optima et sanctissima, quippe quae ad omnem perfectionem ducit, atque ad veram vitam et aeternam gloriam : Christum igitur sequar. Contra, intentio diaboli pessima est et mihi inimicissima, utpote quae ad abyssum vitiorum perducit et ad aeternam dam-

nationem. Fraudes igitur inimici humanae naturae abhorrebo atque in sensum contrarium totis viribus connitar. Quis enim a via discedat, quam amicus tenendam dicit, ut eam sequatur, quam capitalis suadet inimicus?

Consideratio intentionis Christi et intentionis Luciferi, omnibus omnino utilis est, quocumque in statu seu vita divina Providentia eos posuerit, saltem si ad perfectionem venire in suo statu voluerint : *Et quomodo nos debeamus* DISPONERE, *ut veniamus ad perfectionem in quocumque statu vel vita, quam Deus Dominus noster eligendam nobis dederit.* Ex quo sequitur meditationem de duobus Vexillis omnibus prodesse quam maxime. Nemo enim est qui a fraudibus quas omnibus Lucifer intentat, sibi cavere non debeat, et non teneatur et amplecti quae Christi sunt, ut vitam animae consequatur.

Ast leviter etiam rem inspicienti illico apparet S. Ignatium in hac meditatione istud ante omnia intendere, ut idoneos ad vitam apostolicam consiliis evangelicis conjunctam excitet ac disponat. Omnes quidem sub suum vexillum vocat Christus, et similiter sub suum Lucifer; sed neque Christus neque Lucifer omnes alloquuntur, sed duces tantum, seu apostolos. Lucifer daemones docet quibus

fraudibus homines perdere debeant. Christus e contra Apostolos suos et socios docet, quomodo homines ad vitam quae vera vita est debeant adducere. Unde meditatio haec non ad eos qui judicium et sanam rationem habent, proprie dirigitur, sed ad eos quam maxime *qui magis affici volunt erga Christum Regem, et insignes, (scilicet duces) se exhibere in omni servitio aeterni sui Regis*. Verbo, S. Fundator, pro eo quo ardebat zelo gloriae Dei et salutis animarum, eos juvare vult quos dignatus fuerit Christus sibi socios assumere.

In meditatione de Regno Christi, id S. P., exercentibus persuasit ut *contra suam propriam sensualitatem agerent, et contra amorem carnalem et mundanum,* ac *in ferendis omnibus injuriis,* et *in paupertate etiam actuali* Christum imitarentur; nunc ad statum excitat fixum et perpetuum, in quo ista omnia formaliter contineantur, nimirum ad vovendam castitatem, quod est *agere contra* propriam sensualitatem; ad vovendam in statu regulari religionem, quod est *agere contra* carnalem propinquorum amorem; ad vovendam paupertatem et obedientiam, quod est *agere contra* amorem mundi qui totus est in appetendis divitiis et honoribus : ad apostolatum autem eodem modo excitat eos et informat in hac meditatione

Christus, quemadmodum excitabat et informabat suos Apostolos.

Scopus igitur hujus meditationis non est, ut bene notat R. P. Roothaan, deterrere exercitantem a vexillo Luciferi et ad sequendum Christum ducem adducere; id enim abunde in meditatione de Regno Christi, immo et in prima jam hebdomada praestitum est; sed ei suadere, modo id divinae Majestati placeat, ut Christum, non simplex gregarius miles sequatur, sed supremi Ducis antesignanus et Apostolus, qui ad ejus exemplum patre, matre et quaecumque habet, relictis, *pure et unice, aeterni Patris sui servitio* ad mortem usque se impendat et superimpendat. Haec fuit in Ignatio fundandae Societatis Jesu conceptio; ipsissimis namque fere verbis, quae in praesenti praeambulo et in consequenti meditatione de Vexillis adhibuit, S. P. N. in formula Instituti Paulo III oblata et ab eo confirmata, essentiam novi sui Ordinis sic definivit : « Quicumque in Societate nostra, » quam Jesu nomine insigniri cupimus, vult » *sub crucis vexillo Deo militare,* et *soli Domino* » atque Romano Pontifici, ejus in terris Vi- » cario, *servire... curetque primo Deum,* deinde » hujus sui Instituti rationem, quae via quae- » dam est ad Illum, semper ante oculos ha-

» bere, et finem hunc, sibi a Deo propositum
» totis viribus assequi. »

Quinta dies

PRIMUM EXERCITIUM

Meditatio de duobus vexillis

altero Christi, Summi Ducis ac Domini nostri, altero Luciferi, capitalis inimici nostrae humanae naturae.

In versione latina, propter latinae linguae naturam, ambiguitas circa *duo vexilla* necessario existit, quae nec in autographo hispanico, nec in ceteris linguis occurrit : hispanice enim habetur, non : *de las dos banderas* sed *de dos banderas :* gallice : *de deux étendards,* non vero *des deux étendards*. Sunt enim omnis generis vexilla : proprium enim suum vexillum diversorum regnorum cives habent; suum habent et innumerae hominum societates; immo et in ipso Christi regno, alia a duobus de quibus hic agitur vexilla sunt, sicut et in societate Luciferi. De vexillis hic maxime quaestio est, non tam eorum qui vexilla *sequuntur,* quam eorum qui sub vexillo, vel cum Christo *militant,* vel cum Lucifero.

Reverentiae causa, maxime sollicitus est S. P., non tantum in nominando Christo, summo Duce ac Domino nostro (quae singula verba simul tituli sunt ut in omni ejus servitio insignes esse velimus : est enim et Salvator, et Rex, et universorum Dominus), sed et in separando semper Christum a Lucifero. Unde a mente ejus aberrare ii videntur, qui ex duabus hujus meditationis partibus unam tantum efficiunt in tria puncta divisam, ita ut pro una oppositione generali triplicem specialem proponant, ter Christum cum Lucifero conferentes. Hoc ut, quantum fieri poterat, evitaret S. P., omnia quae ad Luciferum pertinent prius expedivit, ut infami hoste Dei relicto, Jesum solum exhiberet. Injuriam Christo intulit Pilatus, non solum in postponendo, sed etiam in componendo cum eo Barabbam. Comparatio hic quidem erat necessaria, sed quantum fieri poterat, alter ab altero, diligenter erat semovendus.

Accurate notetur oppositio quae inter Christum et Luciferum in ipso titulo ponitur, quaeque argumenta continet : *Christus,* id est Salvator noster Deus, et *summus dux,* qui per viam virtutum ad caelum, bonus Pastor gregem suum perducit; omni titulo, sive divinitatis, sive redemptionis *Dominus noster,* ex una

parte; ex altera vero parte Lucifer, lapsus angelus, et sceleratorum angelorum dux inexplebili non erga Deum tantum, sed et erga nos, Dei imagines ac sanguine Christi redemptos, odio flagrans. Capitalem humanae nostrae naturae inimicum eum vocat S. P., tum quia Caput nostrum Jesum in se et in membris ejus assultibus suis impetit; tum quia id quod capitale nobis est, animam nostram in aeternum perdere quacumque ratione conatur; tum praeterea quia asseclis suis, angelis et hominibus, virus odii sui inurit; tum denique quia omnigenum malum nobis et optat et facit; si animae non possit, corpori saltem, quantum potest, nocere constanter intendens. Hoc scimus; sed fraudibus ejus decipimur.

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum *est historia. Erit hic quomodo Christus vocat et vult omnes (congregare) sub suum vexillum, et Lucifer contra sub suum.*

Christus vocat, quia homini libertatem relinquit; sed *et vult;* quod indicat ex una parte jus ejus ac dominium, ex altera vero hominis obligationem. *Vult congregare* vel ut fideles, vel ut apostolos; et Lucifer e contra vel ut perditos, vel si potest, etiam ut perditores.

Secundum praeambulum, *compositio videndo locum. Erit hic, videre campum magnum totius*

illius regionis Hierusalem, ubi summus dux generalis bonorum est Christus Dominus noster; alterum campum in regione Babyloniae, ubi Caput inimicorum (daemonum) est Lucifer.

Quare S. P. Christo *magnum* hic campum, Lucifero autem *campum* sine addito assignat? Quia omnes homines tenentur Christum sequi, aut etiam quia non in angusto constringuntur qui sequuntur Christum, sed revera filiorum Dei libertate vere donantur. *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos* (Jo. 8, 31, 32). Contraria autem de campo Luciferi dicenda sunt.

Quare Hierusalem assignatur Christo, Lucifero vero Babylon? Quia Hierusalem civitatem pacis significat, Babylon e contra civitatem confusionis. Cum enim iis haec Exercitia tradantur qui jam, ut in secunda reg. disc. spir. pro 1ª hebd. notatur, *intense procedunt in purgandis peccatis suis, et in servitio Domini nostri de bono in melius ascendunt,* iis S. P. et Christum et Luciferum oculis exhibet quales se iis exhibent qui ita sunt dispositi; nimirum Christi spiritus dat talibus *animum, vires, consolationes... et quietem;* Lucifer e contra, *eos mordet, tristitia afficit... inquietos reddit per falsas rationes.* Praeterea Christus suis omnibus

jucundum et admirabile lumen suum ostendit; Lucifer autem confusionem animabus parit, et more malarum bestiarum in tenebris operatur. Recte hic applicantur verba illa Christi apud Joan. : *Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem; erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta* (Jo. 3, 19, sq.)

Tertium praeambulum, *rogare id quod volo; et erit hic, petere cognitionem fraudum mali capitis, et auxilium, ut ab illis mihi caveam, et cognitionem verae vitae, quam ostendit summus et verus dux, et gratiam ad illum imitandum.*

Praeclaram hic notam subjicit R. P. Roothaan : « Quaerat aliquis : cum haec medi-
» tatio ex mente S. P. sit invitatio ad vitam
» perfectam, ac praesertim apostolicam, cur
» ergo non docet in hoc praeludio *zelum*
» etiam petere *animarum?* R. 1. Licet sit
» *invitatio* ad vitam apostolicam, non tamen
» exclusive est pro eis, qui ad vitam apostoli-
» cam reipsa vocantur. Quinimmo primarie
» est introductio ad electionem, et etiam ad
» vitae reformationem.

» 2. *Zelus* quidem *animarum* excitari vehe-

» menter hic solet inter meditandum; ast » petere docemur, tanquam *fructum proximum,* » *gratiam duplicem,* ut semper alias pro sub- » jecta materia; scilicet *illuminationis* intel- » lectus ad cognoscendum, et *inspirationis,* » seu motionis voluntatis ad abhorrendum » vel amandum, ad cavendum vel amplec- » tendum. Ita postea in colloquio distinc- » tius exprimitur proprius hujus meditationis » fructus, qui est *amor paupertatis et opprobrio-* » *rum* : quia haec *dispositio,* tum omnibus » necessaria est ad electionem vel reformatio- » nem perfectam, tum maxime iis, qui ad » vitam apostolicam vocentur, aut jam vocati » sint. — Pulchre vero a S. P. nostro *fraudibus* » Luciferi opponitur *vita vera* in Christo Jesu; » nam et *fraudes* sunt omnia Luciferi promis- » sa, et denique ad *mortem* ducunt, cum » Christus Jesus *veritas* sit et *vita,* et quae » proponit, eo proponit, *ut vitam habeant* sui, » et *abundantius habeant.* »

Alia hic quaestio oritur; scil. cur petitur gratia ad vitandas fraudes Luciferi jam notas, et ad imitandum Christum, postquam probatus est esse *vita vera?* An non sufficit hic cognitio? Qui agnovit in aliquo fraudem, an decipi se iterum patitur? R. In humanis quidem rebus, in negotiatione, bello, etc., cogni-

tio sufficeret; at ubi de moralibus agitur, cognitio nequaquam sufficit; requiritur et gratia, sive Christum spectes, sive Luciferum. Praeterquam enim quod in mutandis fraudibus peritissimus et fecundissimus est Angelus malus, eaedem ipsae ejus fraudes, quantumvis decies et centies detectae, ei tamen possunt propter conjurantem cum eo in nobis inordinatam concupiscentiam bene cedere. Quoties enim accidit ut peccator, cernens se miserum propter peccatum, ex quo putaverat se felicitatem inventurum, defleat peccatum, et exorta nihilominus nova occasione, iterum abstractus et illectus relabatur! Proprium enim Luciferi est voluptate allicere. Christus e contra fere non nisi naturae ingrata proponit : in re autem Lucifer pro felicitate dat tristitiam Christus vero pro tristitia felicitatem : Propterea monuit S. P. considerandum esse in utroque, non ea quae proponunt, sed eorum *intentionem*. Hinc pulchre ait Doctor mellifluus, super textum : *Tollite jugum meum super vos :* « Hoc ille dixit, cujus sub lingua lac et » mel : *mel et lac sub lingua ejus;* non ait in » lingua, sed sub lingua. Inimicus habet mel » et lac in lingua, cujus nimirum molliti sunt » sermones super oleum, at ipsi sunt jacu- » la. Fingit diabolus, fingit et Christus : fin-

» git diabolus, fingit mundus se suavitatem
» suis sequacibus daturum, dat autem jacu-
» la, et venenum, et amaritudinem : fingit
» Christus se jugum impositurum, fingit se
» amaritudines daturum et onera : *Tollite*
» *jugum meum super vos;* fingit laborem, sed
» audi sub lingua stillantem dulcedinem et
» suavitatem : *et invenietis requiem animabus*
» *vestris : jugum enim meum suave est, et onus*
» *meum leve* (MATT. 11, 29, SQ.) Qui vero id
» solum attendit quod est in lingua, non mel
» et lac invenit, sed exclamat cum Judaeis :
» *Durus est hic sermo; quis potest eum audire?*
» (Jo. 6). Cum audit : *Qui non bajulat crucem*
» *suam et sequitur me, non est me dignus* (LUC.
» 14, 27) durus est hic sermo; cum audit :
» *qui non odit patrem et matrem, insuper et*
» *animam suam, non est me dignus :* durus est
» ait, hic sermo; sed ne terreare; durus est
» in specie, durus est in lingua, durus est in
» cortice; ast in re dulcissimus, sub lingua
» lac et mel, in medulla suavissimus. Tentat
» te diabolus, offerens tibi suavitatem, porri-
» gens autem jacula; tentat te et Dominus
» Deus tuus, offerens tibi amara in specie, in
» re suavissima; fidei exercitatio et probatio
» dilectionis est fictio illa laboris. Noli esse
» incredulus. Vae his qui ponunt tenebras

» lucem et lucem tenebras, jugum Christi » asperum reputantes, delicias vero inveniri » posse sub sentibus mundi; has delicias » nolo : opto magis *gustare et videre quoniam* » *suavis est Dominus,* non in monte Thabor » tantum, sed in via Golgothae et in cruce : » *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, quam* » *abscondisti timentibus te* (Ps. 36, 20) : utique » *abscondisti,* et quidem sub rebus amaris in » specie : si enim species non adesset amari- » tudinis, deliciae non absconderentur, sed » paterent. An patiemur Christum frustra » clamare ad nos et de levitate oneris sui, et » de suavitate jugi sui? an reputabimus, con- » tra Christi sententiam, levius esse onus » diaboli, suavius esse jugum mundi, praes- » stare delicias cibi et potus et escae et ven- » tris deliciis paupertatis, humilitatis, dolo- » rum Christi? Nemo fastidit manna Dei » absconditum, nisi qui non gustavit, aut » gustum, mandendo venenosa, amisit. Quam » pauci autem sunt qui gustaverint et viderint » quam suavis est Dominus! Carnalis *homo* » *non percipit ea quae sunt Spiritus :* haec ei » stultitia videntur. Insani reputantur qui » crucem Domini suavem praedicant, qui » delectationem paupertatis magnificant, qui » humilitatis gloriam extollunt, qui eructant

» delicias castitatis. Insanus nobiscum repu-
» tetur et Propheta qui dicit : *delectatum se*
» *esse in testimoniis Domini sicut in omnibus di-*
» *vitiis* (118, 14) : felices nos cum Propheta!
» miseri illi qui viam civitatis habitaculi non
» invenerunt, et ideo erraverunt in invio et
» non in via; finis nempe viarum quae vi-
» dentur ipsis bonae, quas delectabiles esse
» judicant, cum nil tamen delectationis ha-
» beant, finis illarum viarum demergitur in
» profundum inferni, ubi erit fletus et stridor
» dentium. » Opportuno tempore, pulcherri-
ma illa S. Bernardi oratione cum magno
fructu uti Director poterit.

Petere id quod volo : multi enim nolunt vi-
dere fraudes Luciferi; adeo fraudum illarum
illecebris capiuntur! immo et multi, pessimi
exitus non ignari, oculos voluntarie claudunt,
quasi nunquam essent morituri; *cognitionem*
vitae verae, scil. eorum quae veram animae
vitam conferunt et ad vitam aeternam perdu-
cunt. *Verae* scil. quatenus fictitiae et falsae
vitae opponitur. Vivunt quidem diaboli et
mundi sectatores, immo gaudere et laetari
videntur, sed vita illa vera mors est immor-
talium animarum, et gaudia ejus pestifero
remorsuum veneno inficiuntur : *risus dolore*
miscebitur (Prov. 14, 13); eorum autem finis

aeternum supplicium. *Vae vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis* (Luc. 6, 25).

Cum Christus ea sibi delegerit et nobis proposuerit, quae ad *veram vitam* ducunt, petitur gratia ad illum imitandum. *Ego sum via, veritas et vita* (Jo. 14, 6). *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris* (Jo. 8, 12). *Ego veni, ut vitam habeant, et abundantius habeant* (Jo. 10, 10).

Vexillum Luciferi

Punctum primum *est imaginari ac si sederet (sedere viderem) Caput omnium inimicorum (daemonum) in magno illo campo Babyloniae, velut in magna quadam cathedra* ignis et fumi, *in figura horrenda et terribili.*

Lucifer spiritus est, sed ea omnia spiritualiter habet quae in natura corporea execranda sunt; utitur autem S. P. corporeis imaginibus ut sensibilia reddat quae intellectualia sunt : *imaginari ac si...* Omnia autem quae oculis exhibet, in ordine spirituali verissima sunt. Antequam autem Luciferi fraudes detegat, ipsummet Luciferum, non qualis ex suis illecebris apparet, sed talem, qualis re ipsa est, nimirum odio in nos execrabili flagrantem, et *Caput* omnium inimicorum nostrorum, ex quo nimirum daemonum om-

nium odium in nos dimanat; neque princeps tantum est omnium in nos odiorum, sed et genius inferni est, acutissima intelligentia praeditus, fraudum omnis generis fons perennis et inexhaustus.

Audiamus R. P. Roothaan : « *In magna* » *quadam cathedra ignis et fumi,* sive *ex igne et* » *fumo,* juxta autographum. Cathedra fingitur » *ex igne et fumo* conflata, in qua soliditatis » nihil, nihil veri splendoris, sed mera agita- » tio ac turbatio perpetua cum densa *caligine* » conjuncta. Haec porro imago *spiritum malum* » *qualis* est exhibet, non talem *qualem* se ho- » minum sensibus *objicit*. Cum enim sit ini- » micus *humanae naturae,* specietenus *amicum* » se fingit, et ideo *fraudes* texit, objecta spe » fallaci divitiarum, honorum etc. Ast, quan- » tumvis fingat, sese tamen prodit in effecti- » bus, qui in hac imagine Luciferi mirabiliter » adumbrantur : *Babylonia,* confusio; *cathedra,* » superbia; *ignis,* commotio absque quiete; » *fumus,* tenebrae; denique *horror,* nec solum » *horror,* sed etiam *terror,* quae duo non sunt » synonyma. »

Bene, quamvis uno verbo, dicit P. Roothaan, de Lucifero : *amicum* se fingit; secus enim nemo ei aures praeberet. Quis certo suo inimico se credat? Ut vero nos suis fraudibus

innectat, ac sic in peccatum, dein autem in infernum trahat, talem se exhibet, quasi nostrae felicitatis contra divinam austeritatem causam susciperet; ita cum Eva processit : *Nequaquam moriemini, sed critis sicut dii.* Est quidem in re, *leo rugiens quaerens quem devoret;* sed hypocritarum princeps et pater odium et rabiem sub amica et delectabili specie prudenter abscondit, suaviter cupiditatibus nostris blandiens. Quot milleni et milleni, postquam toties decepti sunt, decipi se iterum iisdem fraudibus ad mortem usque patiuntur! Immo nec defuere qui insanientes a Lucifero ipso vel pecuniam, vel honores, vel pravarum cupiditatum successum petierint.

Babylonia, confusio. Non solum in malis hominibus incredibilem quoad rationis ac morum principia confusionem Lucifer parit et fovet, sed etiam in bonis, cum spiritualem desolationem in iis operatur. *Voco desolationem,* ait 4ª ex reg. disc. sp., *obtenebrationem animae, turbationem in illa, motionem ad res infimas ac terrenas, inquietudinem variarum agitationum et tentationum, etc.*

In *cathedra quadam magna,* significatur superbia. Quam habuit superbiam, cum insurrexit in Deum et praecipitatus est, eamdem in aeternum habebit; hanc autem et Luciferi

asseclae habent qui animae perditionem incurrunt, ut honores assequantur. Quod autem cathedra Luciferi alta sit et magna, mirum non est; quo enim altior fuit in eo prae ceteris angelis superbia, eo etiam flammae quibus comburitur, ampliores sunt et altiores.

Ex igne et fumo, qui aeterni ejus supplicii partem constituunt. Porro splendor ignis efficit, ut decipiaris, et, cum non videas, videre tamen tibi videaris; fumus autem oculos afficiens splendoris falsitatem obnubilat. Igne pariter agitantur asseclae Luciferi; igne videlicet cupiditatis divitiarum, igne ambitionis, igne infernali luxuriae quae nunquam dicit : satis est. « O ignis infernalis, ait S. Hier.; » cujus flamma superbia est, cujus materia » gula, cujus scintillae prava colloquia, cujus » finis gehenna! »

In figura horrenda; quia reipsa teterrimus et horribilis est, et in tantum quidem, ut nulla imaginatio id assequi valeat. *Atque terribili;* non solum quia horribilis est, sed et quia terrere ei proprium est. Et ipsos namque suos asseclas nonnunquam incredibili terrore ita percutit, ut in mediis noctis tenebris toti contremiscant et expavescant; sed bonos maxime terrere solet, ut a virtute recedant, Deum sine causa formident, damnandos se

credant, et sic porro, ut ad perversos suos fines eos perducat. Non secus ac Lucifer, ejus asseclae terrorem bonis incutiunt, minas intendunt, eos omnimodo vexant et torquent persecutionibus.

Secundum punctum, *considerare quomodo convocationem facit innumerabilium daemonum, et quomodo illos spargit, hos in talem civitatem (mittens), et illos in aliam; atque ita per universum mundum, nullas omittendo provincias, (nulla) loca, (nullos) status (seu nullas conditiones hominum), nec personas ullas in particulari.*

Hanc notam subjecit P. Roothaan : « *Hos* » *in talem civitatem,* etc. Ita distinctius ex au- » tographo studium indicatur Luciferi, *desti-* » *nandi* emissarios hosque *innumerabiles ad* » *omnia mundi loca,* et tentandi *omnes ac sin-* » *gulos,* non modo *nullis personarum generibus,* » ut habet vulgata versio, sed *nullis* etiam » *particularibus personis immunibus relictis,* ut » nemo sit, ubicumque sit, et in quocumque » vitae genere, qui non cavere sibi debeat » diligentissime. » Sane terribile spectaculum illud est, quod hic oculis nostris tam graphice proponit S. P., et quidem cum illo concordans quod a Paulo ad Ephesios describitur : *Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem* (ut fit in bellis gentium)

sed adversus principes, et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in caelestibus (Eph. 6, 12). Si vero attendatur spiritus illos nequitiae et mirum in modum nobis intelligentia praeeminere et incredibili nobis nocendi ardore flagrare, quis in tam inaequali bello se tutum existimet? Ast *primo* neminem Deus supra id quod potest tentari permittit, sed facit cum tentatione proventum, ut possimus sustinere; *secundo,* tentationes non permittit Deus, nisi ut occasionem vincendi habeamus. *Certamen forte dedit illi ut vinceret* (Sap. 10, 12). *Tertio :* magna haec Dei gloria est adversus rebelles angelos, quod hi, non jam a bonis Angelis, sed a multo debiliore creatura, ab homine, vincantur ac turpiter profligentur, indeque graviter in sua superbia crucientur. *Venisti ante tempus torquere nos* (Matt. 5, 29). Diabolus fassus est non habere se in toto mundo inimicum Ignatio terribiliorem. *Quarto* tandem, non soli luctamur : Pugnat nobiscum Deus, pugnat et Christus, modo nobis ipsi non desimus. Ideo subjungit supradictus Apostolus : *Quapropter accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, etc.* (Eph. 6, 11, sq.)

Occurrit hic quaestio momenti nonnullius. Nimirum cur in hac priori parte, in qua de vexillo Luciferi agitur, de solis malis angelis loquitur S. P., de impiis autem hominibus qui saepius cum majori successu quam Lucifer ipse homines ad perditionem pertrahunt, ne verbulum quidem dicit; et e contra in altera parte, ubi de Christi vexillo tractat; nil omnino de bonis Angelis loquitur et solos homines exhibet? Resp. Primo, evidenter hic apparet cur S. P. huic meditationi titulum hispanicum dederit, non *de las dos banderas,* (des deux étendards), sed : *de dos banderas, de deux étendards*. Si enim duo tantum essent vexilla, debuisset Angelos et homines in utraque parte ponere : vexilla autem sua ita composuit ut ad finem facerent quem intendebat. Variis enim modis vexilla potuissent exhiberi, in quibus utraque pars alteri perfecte respondisset; v. g. vexillum bonorum et vexillum malorum angelorum; item vexillum amicorum et vexillum inimicorum Christi, sed primo aspectu quis non videt quanto sublimius ac Deo et hominibus gloriosius spectaculum S. P. exhibeat, cum ex una parte stantem innumerabilem angelorum perditorum exercitum ponit, ex altera vero parte debiles et paucos, si cum daemonibus com-

parentur, homines, quibus de toto inferno datur reportare victoriam!

Secundo, Angeli potius ad Deum referuntur quam ad Christum : ad Christum autem apostoli pertinent.

Tertio. Non intendit S. P. providentiam Dei in hac meditatione justificare, quod aliunde facillime fieri potest, sed praeparare, disponere, docere, et accendere homines, quos ad vitam religiosam atque apostolicam Deus vocare dignabitur.

Quarto : ascendit S. P. ad primarios totius mali auctores, perditos Angelos : mali enim homines et proximorum suorum seductores, satellites quidem daemonum sunt, sed simul eorum pariter sunt praecipuae victimae.

Tertium punctum, *considerare concionem quam ad illos habet, et quomodo eos admonet ad injicienda (hominibus) retia et catenas, ut primo tentare (eos) debeant cupiditate* divitiarum, *prout solet (ipse facere), ut in pluribus, quo facilius perveniant ad vanum honorem mundi, et inde ad magnam superbiam.*

Ita ut primus gradus sit divitiarum; secundus honoris : tertius superbiae; et ex istis tribus gradibus inducit (Lucifer) ad omnia reliqua vitia.

In aperto hic capitales suas fraudes Lucifer proponit; cum sui nimirum similibus, cum

rebellionis, damnationis et odii sociis omni malo devotis et nullius boni capacibus agens, nihil de perfidis suis consiliis dissimulat, quae et ipsis impiissimis etiam hominibus omnino aperta nollet; nam isti, etsi satellites ejus sunt zelosissimi, tamen, cum nondum in malo confirmati sint, nolunt mala ut mala, sed cum specie saltem boni sibi proponi. Hinc etiam intelligitur cur S. Ignatius nobis Luciferum obtulerit solos inter angelos. Completa enim ibi veritas dici potest et dicitur; Eos qui, quamvis satellites, sunt tamen et victimae, eaeque prae ceteris deceptae, nullatenus versutissimus Lucifer omnia scire pateretur.

Concionem habet Lucifer furibundam, cui non absimiles sunt eae quae a francomuratoribus in publicis comitiis saepius evomuntur. Arguit, increpat daemones, ut ad majores eos pugnas exstimulet. Quemadmodum enim propter naturae excellentiam princeps erat Angelorum quos in rebellionem traxit, ita nunc principatu potitur ad suum et ad eorum supplicium.

Subinde seducendi artem ac methodum daemones suos edocet. Praecipuae ejus fraudes sic deteguntur : *Eos admonet injicienda esse hominibus retia et catenas*. Quam turpe hoc est

et humanae naturae dignitati injuriosum! Aviculis, bestiolis tenduntur retia, feris autem catenae destinantur. Tantam ignominiam sibi inuri francomuratores, impii, liberales et libertatis opinandi fautores quam parum suspicantur! retibus includuntur, vinciuntur catenis, et quasi de parta jam sibi libertate gloriantur!

Ad injicienda (*hominibus*) *retia*. Penniferorum oculis escarum illecebrae apponuntur; subest autem escis subdolum rete, quantum fieri potest, retectum, ut ne divinari quidem dolus possit; sic deceptae capiuntur aves. Ita et homines capit Lucifer; de catenis quae supervenient, nulla suspicio.

Quodnam est rete Luciferi? duplex illud est, alterum altero crassius et fortius.

Primum rete, seu primus laqueus est auri sacra fames. Fraus autem in eo consistit, quod divitiae sint de se res indifferens, modo, prout hic supponitur, legitime acquirantur. Multi enim non modo boni, sed etiam sancti divitiis abundarunt, quin inde perditionem incurrerint. In quo igitur rete consistit? In eo nimirum quod, ubi erga divitias homo multum afficitur, periculosissimae illae sint, ut in 2° et 3° gradu videbitur. Non igitur divitiae in se periculosae sunt aut malae, sed ad illas vehe-

mentius affici, periculosissimum est. Ideo ait S. P. *ut primo tentare eos debeant* CUPIDITATE *divitiarum : cupiditas* quippe formidanda est, atque dirus in ea latet anguis. Dives fuit Job, sed ubi amisit uno die omnia, dixit : *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum* (JOB. 1, 21); divitiae ipsi aderant, non aderat cupiditas; ideo et inter divitias et in summa egestate Deo pariter adhaesit : *Si bona a Deo suscepimus, quare et mala non suscipiamus* (JOB. 2, 10)? — Dives autem epulo, ut voluptati ac superbiae indulgeret, cupiditate divitiarum ardebat; hinc sibi unice intentus te omni charitate vacuus *sepultus est in inferno.* Talibus dixit Jesus : *Vae vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram; Vae vobis qui saturati estis; quia esurietis. Vae vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis* (LUC. 6, 24, SQ.) Neque illi tantum divites arguuntur, qui ad peccandum divitias sectantur, sed ii etiam qui, etsi non peccaminoso, non bene saltem ordinato ad divitias affectu ita implicantur, ut, sicut juvenis ille evangelicus, nolint divitiis renuntiare, et vocantem ad altiora sequi Christum.

Divitiae, non tam propter se, quam propter ea quae procurant, appetuntur, scilicet propter voluptatem et honorem; honorem autem pro suo scopo solum commemorat S.

P.; nec usque ad voluptatem malum deducit. Si enim de criminosis delectationibus hic ageret Lucifer, rete nimium patefieret, et forte homo sibi caveret; sufficit honorum cupiditas, quae subdole ad superbiam deducet, ex qua impudicitia cum ceterorum omnium vitiorum colluvie prorumpet.

Quomodo autem ex cupiditate divitiarum *vanus honor mundi* enascatur, nemo qui habet oculos non cernit; quanta enim apud divites luxus ostentatio et aemulatio! En hominem ex obscura stirpe ortum, sed a parentibus bene ac religiose educatum; sorte juvante et ingenio atque industria, inexspectatas acquirit opes; via ei jam sternitur ad divitias; divitiarum cupiditate magis ac magis in dies inflammatur; dives, immo ditissimus tandem evadit, et ecce ea quam a piis parentibus hauserat religio sensim sine sensu evanescit. Vanum spirat honorem, et ut ad divitiarum gloriam et ipse perveniat, amplas atque magnificas sibi aedes aedificat : sumptuosa sibi caenacula exornari curat, eaque cum vanitate ostentat; epularum luxuriem affectat; vestitur et ipse, sicut dives epulo, purpura et bysso. Lucifer dispositum jam hominem habet et retibus ac laqueis penitus irretitum. Jam parat catenas.

Ubi dives ille eo tandem venit ut vanum honorem spiret et gloriae desiderio ardeat, longius eum Lucifer promovet, scilicet usque ad superbiam consummatam, id est, ad propriam sibi Lucifero superbiam. Nimirum in corde ipsius munium superiorum cupiditatem ita incendit, ut ad primas suae civitatis vel etiam provinciae, immo et regni sedes aspiret. Ignis accensus est, quis eum restinguet? Ut autem honores illos obtineat, favor perversorum, *liberalium, francomuratorum* requiritur; requiritur ut, abjecta sua avita religione ac pietate, sectae liberalium, scilicet Dei et ecclesiae inimicorum adhaereat. Oriuntur quidem remorsus et conscientiae stimuli, sed in fine vincit cupiditas; dives noster liberalis fit cum liberalibus, forte et francomurator. Honores tantopere exoptatos obtinuit, sed obtinuit et catenas Luciferi, quibus ad mortem usque vincietur. Sicut Lucifer, independentiam erga Deum et Ecclesiam profitetur; inciditque cum Lucifero in superbiam illam quam S. Fundator magnam vocat, theologi autem consummatam, quae supernum omne jugum excutit, atque odium ipsum Dei parit legumque ejus contemptum. *Impius, cum in profundum venerit, contemnet* (Prov. 18, 3). Hic est verus liberalismus qui in caelo ab angelis

initium sumpsit et in plena erga Deum independentia consistit : *Convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus. Dirumpamus vincula eorum et projiciamus a nobis jugum ipsorum* (Ps. 2, 1, 3). Quod fecit Lucifer in caelo, omni ope atque opera conatur ut idem et homo faciat in terris, indeque eodem ac ipse supplicio plectatur in inferno.

Ex hoc autem liberalismo, et, per consequens, ex absoluta omnium legum divinarum solutione, necessario sequuntur omnia reliqua vitia : impietas, impudicitia, injustitia, odium, etc.

Primus ergo gradus est *cupiditas* divitiarum : secundus, *vanus honor mundi,* in quo honorum ambitio et superbia non consummata continentur ; tertius, magna superbia, illa scilicet Luciferi consummata, quae divina omnia vincula solvit. De hac autem sola, non vero de secundo gradu, seu de vano tantum honore dicit S. P. quod ad reliquorum vitiorum omnium generationem sufficiat.

Ex his patet R. P. Roothaan distinctionem vani honoris mundi et magnae superbiae non attigisse ; ideo haeret in ambiguo et sine claritate ac nitiditate in obscuro procedit.

Vexillum Christi

Similiter ex opposito imaginandum est de summo et vero duce, qui est Christus Dominus noster.

Lucifer dux non est, quia nec ullum jus habet, nec ullam auctoritatem; immo nec veram ullam potentiam; siquidem nil valet contra liberum hominis arbitrium, et per fraudulentas suasiones procedere cogitur; neque aliunde verus dux dici potest, quia ad nullum bonum ducere, aut vult, aut potest, sed ad mala tantum et ad infernum. Lupus est ovili insidians, ut perdat ac mactet.

Jesus e contra summus dux est et verus : *summus, quia Deus et Dominus; summus,* quia Rex a Patre constitutus est, et gentes omnes utpote divini sui sanguinis effusione redemptas jure acquisivit. *Verus* Dux est, quia Salvator et Pastor est, qui venit ut homines *vitam habeant et abundantius habeant;* quia oves suas propria sua carne et sanguine pascit, nedum earum ipse carne pascatur. *Ego sum pastor bonus, et animam meam pono pro ovibus meis* (Io. 11, 14); immo perditas eas quaerit ac vitae reddit, nedum perdat eas; quia tandem ad divina pascua eas ducit, nec eas deserit, donec caelestibus paradisi gaudiis asseveraverit. Quanto autem amore eas diligat ex ipso-

met accipe : *En cor quod homines tantopere adamavit ut nulla in re sibi pepercerit...*

Primum punctum est *considerare quomodo Dominus noster se sistit in magno campo illius regionis Hierusalem, in loco humili, speciosus et amabilis.*

Lucifero saevo omnium inimicorum capiti opponitur *Christus Dominus noster,* nempe Deus et Salvator; campo autem Babyloniae campus Hierusalem, id est civitatis pacis; qui enim Christum sequuntur, pace fruuntur quae *exsuperat omnem sensum,* dum ceteri diabolicis perturbationibus agitantur; superbae *cathedrae ex igne et fumo, opponitur locus humilis,* quo significatur Christi humilitas, qui, cum esset Deus, *exinanivit... et humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis,* dum Lucifer, qui mera erat creatura et nihil, similis esse voluit Deo; figurae *horrendae* Luciferi opponitur *Speciosus* forma prae filiis hominum; *terrori* autem quam ille omnibus incutit, Jesus *amabilis* nimis.

Quemadmodum non Lucifero tantum, sed et omnibus ejus asseclis notae ei assignatae conveniunt, namque hi omnes, ad exemplar Capitis sui, in confusione et tenebris habitant, primas sedes superbe appetant, *superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper* (Ps. 73, 23),

diabolico igne ardent atque agitantur, vitiis ac turpitudinibus suis horrorem excitant, et minis, terroribus, persecutionibus et suppliciis bonos innocentesque sine intermissione afficiunt; ita et notae Christo assignatae suis omnibus discipulis pariter, etsi inferiori gradu, propriae sunt, ita ut illi pacis et ordinis filii sint, in admirabili Christi lumine versentur, infima sibi vindicent et opprobriis delectentur, virtutum splendore omnes laetificent, et omnium corda bonitate, mansuetudine, affabilitate, charitate, devotione, abnegatione demulceant et ad caelestia suavissime elevent.

Secundum punctum *considerare quomodo universi mundi Dominus eligit tam multas personas, Apostolos, discipulos, etc., et eos mittit per universum mundum spargendo sacram suam doctrinam per omnes status et conditiones personarum.*

De bonis Angelis quos mittit Deus, non loquitur Ignatius, ut jam diximus. Hoc enim Christianis satis notum est. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis* (Ps. 90, 11). Multo plures eosque omnes daemoniis terribiles, bonos Angelos mittere potest et mittit Deus, quam valet Lucifer mittere daemones. Regnis, Provinciis, et singulis hominibus unum aut plures Angelos bonos assignat. Sed his omissis quae ad rem hic

non directe faciunt, tendit Ignatius ad scopum, scilicet ad excolendas vocationes apostolicas.

Quod Caput inimicorum daemones inveniat qui non nisi mali sint et ad perdendos homines parati, quis mirabitur? neque mirabilius est quod et homines ad proximos suos perdendos dispositos, eosque non paucos, reperiat; ad hoc enim sufficit ut eant isti secundum desideria cordis sui; ast, quod Christus *tam multas personas* inveniat, quas cum voto castitatis et rerum inopia ad labores exanclandos, immo et ad martyrium subeundum paratas, easque tam multas, ut eas in universum mundum mittere, nulla terrestri mercede proposita, possit, id insignis potentiae soli *universi mundi* Domino possibilis sine dubio est. Cum sit *Dominus, eligit,* qua voce satis innuit S. P., non ex propria hominum voluntate, sed ex vocatione divina oriri Apostolatum. Et certe si quis innumerabilem sacerdotum turmam, missionariorum phalanges, et infinitam religiosorum ac religiosarum multitudinem apostolico muneri sub omni forma devotam consideret, quomodo divinam potentiam et providentiam non admiretur? Nec divites tantum, sed et pauperes evangelizantur, nec concives tantum, sed et barbarae

gentes. Eo spectaculo quid ad magnos spiritus excitandos aptius et efficacius?

Tertium punctum, *considerare concionem quam Christus Dominus noster habet ad omnes suos servos et amicos, quos ad talem expeditionem mittit, commendando illis, ut omnes velint (studeant) adjuvare, adducendo illos primum ad summam paupertatem spiritualem, et, si suae divinae Majestati placuerit, et (ad hoc) eos eligere voluerit, non minus (s. etiam) ad paupertatem actualem, secundo, ad desiderium opprobriorum et contemptuum, quia ex his duabus rebus (s. paupertate et contemptu) sequitur humilitas : ita ut sint tres gradus; primus, paupertas contra divitias; secundus, opprobrium vel contemptus contra honorem mundi; tertius, humilitas contra superbiam : et ex his tribus gradibus inducant homines ad omnes reliquas virtutes.*

Hic aperit S. P. totius suae sanctitatis secretum; aperit et medullam non solum suorum Exercitiorum, sed et ipsarum sui Instituti Constitutionum; qua in doctrina tota virorum apostolicorum, immo et perfectorum christianorum formatio continetur. Extra hoc, incassum solidum quid quaeras.

In meditatione de Regno Christi sermo est ad omnes, sive simpliciter servare animam velint, sive se cupiant insigniores exhibere;

hic ad selectos tantum, ad eos scilicet quos Dominus ad apostolatum quoquomodo exercèndum *elegit*. Ideo S. P. ait : *ad omnes suos servos et amicos :* ad eos nempe qui magis, utpote intime *amici,* affici volent erga Christum, et ut servi insignes se *in omni servitio* ejus exhibere.

Porro ad eos, antequam ad militarem in ordine spirituali expeditionem mittantur, concionem habet; sic enim solent exercituum duces ad instruendos ante pugnam milites fortitudine, robore, et consiliis. Jesus autem pro fortitudine charitatem accendit, quae apostolica fortitudo est : *Commendando illis ut omnes velint juvare*. In hunc sensum ait S. Gregorius : « Qui charitatem erga alterum non habet » praedicationis officium suscipere nullatenus » debet (Div. Off.) » At, qui servus et amicus Christi est, ei charitas in proximum deesse non poterit.

Quam alia est humilis et mitis Jesu concio a concione Luciferi, qui totus superbia et odium et furor est! Hic enim, odio habens et daemones et homines, infernali sua potestate arroganter utens, daemones (non persuasionem adhibens, sed imperium) *admonet,* quae admonitio exprobrationem quasi omissi officii continet. Vide quam contemptim, velut feras,

homines tractet qui ei se credunt : *ad injicienda retia et catenas*. E contra humillimum et mitissimum summum Ducem intuere, qui non imperat, sed cum reverentia servis suis et amicis bona commendat, eosque benigne et reverenter quasi supplicat; *ut velint*. Hominibus non retia injicienda aut catenas suadet, sed, servato humanae libertatis honore, fraternae charitatis auxilium suggerit : *adjuvare velint,* tum exemplo, tum verbi persuasione; omnia enim sub vexillo Christi ratione et charitate peraguntur.

Duo tantum Christus commendat, paupertatem et contemptuum amorem. Ex his quippe prodibit humilitas, et cum humilitate ceterae virtutes omnes. Incesserat hac via ipse S. P., vel potius a principio conversionis praecipitem se dederat in vacuam summae paupertatis abyssum, et inde simul in abyssum omnis generis contemptuum; sic, per admirabilem Dei et sui cognitionem, ac dein per ardentissimum Christi Jesu amorem, profundissimam humilitatem erat consecutus et ex humilitate ac cum humilitate ad omnium virtutum culmina et ad majorem Dei gloriam ascenderat. Ad eadem hic provocat suos.

Primo, adducendo illos ad summam paupertatem spiritualem. Duplex enim voluntaria pau-

pertas est, spiritualis et actualis; actualis spiritualem praesupponit, sine qua nec perfectio christiana, nec a fortiori perfectio apostolica concipi potest. Non electis tantum ad vitam religiosam et apostolicam, sed et omnibus suis discipulis, utpote ad perfectionem necessariam, spiritualem paupertatem commendavit, eique regnum caelorum asseruit : *Beati pauperes spiritu, quia ipsorum est regnum caelorum* (Matt. 5, 3). Nisi enim illa adfuerit, procul dubio dives incidet in retia et in laqueum diaboli : sua namque natura divitiarum cupiditas, quae spirituali paupertati e diametro opponitur, ineluctabiliter eum in *vanum* trahet *honorem mundi,* et inde in abyssum superbiae. Ait enim Paulus ad Tim. : *Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia, et nociva, quae mergunt hominem in interitum, et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas : quam quidam appetentes erraverunt a fide et inseruerunt se doloribus multis* (Tim. 6, 9, 10).

Paupertas actualis, non spiritu tantum, sed actu electa, in eo consistit, ut homo suis omnibus terrenis bonis se exuat, ut ad mortem usque, sine ulla possessione, sine ullius rei dominio, perseveret; neque hoc tantum intel-

ligit Ignatius; vult enim, ut et in usu rerum necessariarum, paupertas, denudatio et vilitas realis sit et actualis. Tolle hanc realitatem, tolles et effectum ejus, contemptuum amorem; nam, nec opprobria, nec opprobriorum amorem, sola voti paupertatis, ut aiunt Theologi, substantia, seu interdictio proprietatis et liberi rerum usus, pariet. Cum ea enim sola interdictione religiosus omne id, quod vilitatem generat, declinare poterit. Neque sane ad amorem contemptuum pervenisset Ignatius, si horribilem illam quam Manresae tenuit paupertatem, vilissimus mendicantium, non esset amplexatus.

Secundo, ad desiderium opprobriorum et contemptuum. Ex amore paupertatis oritur hoc desiderium. Tanta est enim inter paupertatem et opprobria affinitas, ut paupertas ipsa involuntaria et minime amata, non amorem quidem, sed sufferentiam saltem et patientiam opprobriorum pariat. En divitem per plateam transeuntem mendicus insequitur eique supplices manus humiliter protendit; ille vero nec oculos in pauperem intendit, nec ei respondet; non inde mendicus afficitur, immo supplicius ore et oculo instat. Recede a me, reponit dives, iterum in nullo laesus pergit instare pauper; et si evomat in

eum dives injurias, suppliciter instabit cum eadem humilitate miser, quamdiu ipsi spes aliquid obtinendi remanebit. Quid tantam patientiam parit? ipse paupertatis involuntariae status; si minima etiam injuriarum illarum pars diviti irrogaretur, totus hic ira excandesceret. Quare? quia dives est honoris mundani amator.

Jam vero si paupertas involuntaria et detestata, natura sua, opprobriorum patientem sufferentiam operatur, paupertas amata propter Christum, paupertas quaesita, non solum sufferentiam opprobriorum, sed eorum amorem pariet. Amatur mater, paupertas, amabitur et filia ejus, humiliatio, quia filia quasi unum quid cum matre est : qui vero humiliationem quae paupertati essentialiter inhaeret, non amat, is nec paupertatem ipsam amare convincitur.

Cum amor ille opprobriorum ex amore Jesu pauperis oriatur, magnam, sicut amor ipse Jesu, cordi servorum et amicorum Dei parit laetitiam. *Ibant apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (Act. 5, 41). Quam saepe gaudio illo inebriatus est Ignatius, verus ille pauper Christi Jesu!

Quia ex his duabus rebus (voluntaria pauper-

tate et amore contemptuum) sequitur humilitas. Laboriosa valde paupertatis virtus est; laboriosior amoris humiliationum virtus; ast duarum illarum amarissimarum virtutum fructus est dulcissimus et suavissimus, humilitas. Quid injuriarum, quid contemptuum, aut conturbare, aut contristare, aut etiam commovere eum potest, qui inter opprobria intus laetatur?

Tandem resumit S. P. per nitidissimam oppositionem utramque partem praesentis exercitii : *Ita ut sint tres gradus : primus paupertas contra divitias; opprobrium vel contemptus contra honorem mundanum, tertius humilitas contra superbiam; et ex his tribus gradibus inducant (homines) ad omnes reliquas virtutes.* Sicut ex duobus prioribus sequitur humilitas, ita, non ex tertio tantum, sed ex his tribus sequuntur reliquae virtutes omnes : justitia, siquidem non amantur divitiae; patientia et condonatio, si quidem amantur injuriae; charitas, mansuetudo, modestia, ac tandem humilis sive divinarum, sive humanarum legum, observantia ac constans in spiritu fidei obedientia.

Inter celeberrima S. Patris colloquia reponendum illud est quo celeberrima haec meditatio concluditur. Hic enim caelestis ac divina

scala illa apparet, quam crescente ad singulos gradus reverentia et fervore desiderii, tantopere S. P. N. avebat ascendere, sistens scilicet in primo gradu coram Matre Dei, Domina sua atque apud Jesum mediatrice potentissima; in secundo, coram Mediatore Dei et hominum; in tertio, coram Patre caelesti. Neque immerito tantam hic adhibet solemnitatem; nam cum de sublimissima obtinenda gratia agatur, et omne donum perfectum desursum sit, descendens a Patre luminum, nil non movendum oratione est, ut vis fiat apud Deum.

Colloquium (faciam), 1. *ad Dominam nostram, ut mihi obtineat gratiam a Filio et Domino suo, ut ego recipiar sub ejus vexillum : et primum, in summa paupertate spirituali; et, si divinae suae Majestati placuerit, et me (ad hoc) eligere ac recipere voluerit, non minus (etiam) in paupertate actuali; secundo, in tolerandis opprobriis et injuriis, ad magis in illis eum imitandum, dummodo possim eas tolerare absque ullius peccato, et (absque) disgustu suae divinae Majestatis. Et simul (recitabo) Ave Maria.*

Ut ego recipiar; magna enim Dei gratia est et gratuita, immo forte et, propter tot peccata et infernum toties mihi debitum, valde immerita.

Et me (ad hoc) eligere ac recipere voluerit. Ex his verbis iterum luce clarius apparet quam longissime abfuisse S. Ignatium a creandis aut fabricandis religiosis et apostolicis vocationibus. Quantumvis enim idonei videantur ii quibus integra tradit Exercitia, nihilominus praesupponit, ut conditionem sine qua non, divinam electionem; cui tamen subjecti generositas obsecundet necesse est. Sed et ipsis indignis, ut Saulo, sublimis illa gratia quandoque conceditur, dum e contra aliis ceteroqui valde dignis ne innuitur quidem illa vocatio. Quid igitur quoad vocationes praestat S. P.? Praeparat cum divina gratia ac disponit, vel potius dat, unde quis se praeparet ac disponat; adjuvat exercitantem, ut divinae electioni, si haec adsit, respondeat, dein se offerat, ac tandem recipiatur. De media ergo inter electionem et receptionem parte S. P. sollicitus est, quae in praeparatione ad se offerendum consistit.

Non minus in paupertate actuali; non minus, si enim adsit amor Christi et vera ac perfecta spiritualis paupertas, sine ulla ferme difficultate, accedente signo divinae vocationis, fiet ad paupertatem actualem transitus.

Ad magis in illis cum imitandum; magis nam potest quis imitari Christum, quin opprobria

et injurias sustineat; sed ad perfectam Christi imitationem, haec interna adsit oportet dispositio, ut opprobria et injurias ex amore Jesu, qui pro nobis opprobriis saturatus est, appetamus, *dummodo*, ait S. P., possimus eas tolerare absque ullius peccato; non enim exoptanda sunt peccata, ut eveniant bona merita.

2. *Petere eadem a Filio, ut (ea) mihi obtineat a Patre, et simul dicere : Anima Christi.*

3. *Petere eadem a Patre, ut ipse ea mihi concedat; dicere : Pater noster.*

Subjungit hic S. P. sequentia : *Hoc Exercitium fiet media nocte, et dein iterum summo mane,* et quidem summo mane non per modum repetitionis, scilicet, *notando,* ut ait in prima hebdomada S. P., *et moram faciendo in iis punctis, in quibus senserim majorem consolationem, vel desolationem, vel majorem sensum spiritualem,* sed de novo totum, quasi id pro prima vice facerem. Cum autem materia illa valde ampla sit, non videtur contra mentem S. P. acturus Director, si pro ea libertate quam ei elargitur, media nocte primam partem de Lucifero tantum tradat, et summo mane alteram de Christo, et fiant duae postmodum repetitiones circa utramque partem.

Et fient, addit S. Fundator, *duae repetitiones* ejusdem *ad horam Missae, et ad horam vespera-*

rum, semper finiendo cum tribus colloquiis supra dictis, ad Dominam nostram, ad Filium et ad Patrem : Et illud (Exercitium) *de Binariis (classibus hominum) quod sequitur, (fiet) hora ante caenam.*

Vult ego S. P. ut integra haec quarta tota fere dies in meditatione de duobus vexillis transigatur. Et jure quidem merito; nam nisi fuerit ad vesperam exercitans in perfecta, quam triplex colloquium supponit, dispositione, electionis negotium pro votis nullatenus succedet. Ideo ad finem diei meditationem de Binariis subjicit, quae in illa dispositione examinanda et tentanda, immo et per novum et ultimum conatum procuranda, tota versatur.

Post duas repetitiones Exercitii de Vexillis, fiet

QUINTUM EXERCITIUM

Meditatio

Fiet eadem quarta die de tribus Binariis (classibus) hominum ut amplectamur optimum.

« Cur bini? ait R. P. Roothaan, fortasse, » ut determinato tali numero, minus vaga sit » meditatio et repraesentatio imaginaria de » hominum *classe*. Cur non singuli? Fortasse

» quia singuli non ita constituerent *classem* » hominum et ne qua persona particularis at- » tingi videretur. »

De praesenti meditatione haec inter alia habet directorium : « Patet totam hanc me- » ditationem eo tendere, ut ostendat animae, » quam turpe et perversum sit, si non solum » exuere nolit inordinatas cupiditates, sed si » velit quidem eas exuere, sed eo modo velit, » quo ipsi libeat, et se non resignat in mani- » bus Dei. Ex quo apparet illam esse volun- » tatem admodum debilem, quia vere vult et » non vult. »

« Unde, quia res haec tanti momenti est, » praesertim ad disponendam animam elec- » tioni jam vicinae, posset etiam qui Exercitia » sumit, ad majorem claritatem, praeter hanc » similitudinem trium mercatorum, effingere » sibi alias similitudines ejusdem tenoris, ut, » v. g. si essent tres aegroti, qui sanari qui- » dem omnes cupiunt, sed primus nolit adhi- » bere medicinas ullas propter earum amaritu- » dinem, nec abscissionem propter dolorem; » secundus velit quidem adhibere, sed quas » ipse probet ac judicet, non eas quae aptae » sunt ejus morbo, ut, v. g. si nollet abstinere » a vino, aut similibus; tertius denique se to- » tum medico permittat, ut et diaetam impe-

» ret, et urat, et secet ipsa etiam membra, si » opus sit. »

Ex his jam patet, propinquante jam electione, cur S. P. in secunda annotatione dixerit, non quilibet *modus tollendi,* sed *praeparandi et disponendi animam ad tollendas a se omnes affectiones inordinatas;* neque hoc fuisse solius primae tantum hebdomadae opus; si quidem et post tot exercitia secundae hebdomadae tanta ad hoc molimina tentanda sunt. Ad vivum jam nunc pervenimus, et ad ipsas latentes radices. Ad hoc aperte jam accedimus, quod, magna ex prudentia, obscure tantum et generaliter in ipso Exercitiorum titulo S. P. praenuntiaverat : *Exercitia spiritualia, ut homo vincat se ipsum, et ordinet vitam suam, quin se determinet ob ullam affectionem quae inordinata sit.* Multa jam fuere contra veterem hominem praelia et assultus, quibus hic magis ac magis fractus nunc in desperationem jam et in rabiem actus, nonnisi suprema ac fortissima expugnatione penitus prosterni poterit.

Ad novam illam de tribus aegrotis similitudinem a Directorio propositam quod attinet, hoc primum notemus, eam quidem ab eo suggeri, non ut similitudini Ignatii substituatur, sed ut, ratione majoris claritatis, superaddatur. Quoad hujus novae similitudinis mo-

mentum, hoc videtur esse dicendum : valde scilicet eam, vel in statu jam fixo etiam religioso, vel etiam quotiescumque, extra Exercitia, de eradicando vitio, de tollenda quacumque inordinatione, vel de tepore excutiendo agetur, fore absque dubio utilissimam; immo cum magno fructu cum iis qui inveteratae consuetudinis mortalia peccata committunt adhiberi posset v. g. in missionibus. Sed si de exercitante quaestio sit, qui ad inveniendum utrum vocetur necne ad statum religiosum et apostolicum magna peragit Exercitia, videtur non esse ullo modo a similitudine S. Ignatii divertendum. Meditationem enim de duobus vexillis inter et meditationem de Binariis intimus nexus existit, qui nec destruendus nec interrumpendus est.

Tota enim hic quaestio est, utrum exercitans, si id divinae Majestati placuerit, secuturus sit Christi consilium : *Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus, et veni, sequere me*. De divitiis ergo et de omnibus terrestribus bonis dimittendis agitur, non vero de accipiendis medicamentis. Ideo in meditatione de duobus vexillis, non radix talium aut talium peccatorum et perditionis attenditur, sed ex una parte cupiditas divitiarum quae radix omnium malorum est, ex altera autem

perfectorum virtutum atque aeternae salutis mater, paupertas, non spiritualis tantum, sed etiam, et maxime, paupertas actualis. Hanc paupertatem cum suis corollariis, opprobriis scilicet et injuriis, in fine praecedentium quatuor hujus diei Exercitiorum postulavit enixissime exercitans. In fine autem diei et in ultimo exercitio, non tam de morbo in genere curando, quam de affectu ad divitias quaestio est; ideo tres divites S. P. in scenam inducit, qui vel in mala, vel in mediocri et inefficaci, vel in perfecta dispositione sunt, quoad divitias, si deus voluerit, abdicandas; ita ut haec meditatio in eodem ac praecedens de duobus vexillis objecto versetur, ut rem ad exitum deducat.

Notanda valde sunt verba quibus titulum hujus meditationis concludit S. P.; scopum enim ejus non obscure definiunt : *ut amplectamur optimum.*

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum *est historia, quae est de tribus Binariis* (*classibus*) *hominum et unaquaeque earum* (*classium*) *acquisivit decem millia ducatorum, non pure ac debite* (*unice*) *propter amorem Dei* (*erga Deum*), *et volunt se salvare, et invenire in pace Deum Dominum nostrum, tollendo* (*excutiendo*) *a se pondus et impedimentum,*

quod in affectione rei acquisitae habent (*quominus*) *ad hoc* (*ad salutem et ad Deum in pace inveniendum*) *perveniant.*

Tribus Binariis eamdem omnino divitiarum partem, magnam quidem illam S. Ignatii temporibus, attribuit S. P., ut pateat quantum in eadem difficultate variae esse possint animarum dispositiones. Evidenter supponit non injuste, (nam tunc urgeret ad salutem praeceptum restitutionis), decem illa millia ducatorum comparata fuisse, sed non *pure ac debite* propter amorem Dei, quod tamen juxta Fundamentum Exercitiorum requirebatur : *Homo* enim *creatus est ut laudet* (quod amorem implicat ut vidimus) *Deum Dominum nostrum, ei reverentiam exhibeat, eique serviat, et per haec salvet animam suam. Reliqua creata sunt ut ... hominem juvent in prosecutione finis* ob quem creatus est. Inordinationem igitur in acquisitione divitiarum contraxerunt, et in *retibus* Luciferi capti sunt; porro in his Exercitiis sentiunt se vano honori obnoxios et abyssum superbiae ac perditionis ante se cum formidine contemplantur. Atqui in hunc abyssum nolunt incidere; *volunt omnes se salvare.* Quis enim vellet in aeternum damnari? Immo et volunt in hac vita *invenire in pace Deum Dominum suum.* Didicerunt autem ac perspexerunt

in meditatione de duobus vexillis divitias esse quidem de se indifferentes, periculum autem totum in affectu ad divitias consistere. *Radix omnium malorum cupiditas.* Hinc tollere a se pondus et impedimentum volunt quod in affectione rei acquisitae habent. Hucusque, saltem specietenus, etsi re ipsa minime, videntur esse aeque bene dispositi. Sed continuo difficultas apparebit, cum ad praxim erit veniendum; quid scilicet agendum, ut affectus ille periculosus tollatur e medio?

Secundum praeambulum, *compositio, videndo locum. Erit hic, videre me ipsum, quomodo sto (stantem) coram Deo Domino nostro, et omnibus ejus Sanctis, (eo animo,) ut desiderem et cognoscam id quod gratius sit divinae suae Bonitati.*

Ex sublimi illo praeambulo satis intelligitur, quantum in hac meditatione S. P. momentum posuerit. Quanta oppositio inter *me* solum, qui nihil sum, qui miser peccator sum, ab inferni vinculis solutus, et Deum Dominum nostrum atque omnes Sanctos! Quantumque illa ad generosos affectus eliciendos idonea!

Quare autem ibidem additur: *ut desiderem et cognoscam* id quod gratius sit divinae *Bonitati?* Non dicitur ut cognoscam et desiderem, nam praecedere debet desiderium, ut quoquomodo

saltem mereatur exercitans cognoscere (scilicet a Deo ipso per intimam locutionem, quae hic quaeritur) et divinam voluntatem, aut divinum beneplacitum.

Nec dicit amplius hic S. P. : *id quod gratius sit divinae Majestati,* sed divinae *Bonitati,* ut amori amore respondeat exercitans. Implicite enim hic tot beneficiorum, et maxime in his Exercitiis *a divina Bonitate* acceptorum, recordatio cordi innuitur, ut ad magna exercitans provocetur.

Tertium praeambulum, *petere id quod volo. Hic erit, postulare gratiam ad eligendum id quod magis sit ad gloriam divinae suae Majestatis et salutem animae meae.*

Notetur iterum hic, *quod volo;* nisi enim haec voluntas adfuerit, et nos sincere in manus Dei tradiderimus, nec parati, nec dispositi, nec apti ad tantam gratiam suscipiendam erimus.

Quod magis ad gloriam divinae suae Majestatis. Ecce a Fundamento Exercitiorum orsus, ad id nos S. P. perduxit quod est perfectissimum, plenam scilicet nostri ipsorum abnegationem, qua per reliquum vitae, non tantum gloriae, sed majori Dei gloriae, ac proinde majori saluti animae nostrae vivamus : *et per haec salvet animam suam :* paucis, ad suam tes-

seram nos adduxit ille qui, Ecclesia testante, « ad Domini sui amplexum, cujus majorem » gloriam in ore semper habuerat, semper in » omnibus quaesierat, emigravit. » (Act. Canoniz.) *Ad majorem Dei gloriam!* Ad haec quanta requiritur gratia! quam ardentissime igitur et cum ingenti desiderio gratia illa a Deo petenda est! Vehemens desiderium, ait Augustinus, est clamor in auribus Dei. De pretioso enim illo agitur thesauro, *quem qui invenit homo, abscondit, et prae gaudio illius vadit, et vendit universa quae habet, et emit agrum illum.*

Primus Binarius (*prima classis*) VELLET *tollere affectum, quem habet erga rem acquisitam, ut* inveniret *in pace Deum Dominum nostrum, et salvare se sciret (posset); et non ponit media usque ad horam mortis.*

De divitiis ipsis dimittendis apud eum Binarium, nequidem quaestio est; immo eas servare ei statutum est; acquisivit eas et juste, scilicet sine ulla injustitia, et magno labore ac per multam industriam. Non est cur eas relinquat, siquidem divitiae in se malae non sunt, sed res plane indifferens; immo dona sunt Dei; multi olim divites, multi reges sunt in caelo et quidem altissime collocati, qui divitiis bene usi sunt; neque ego iis male utar; fecerunt eleemosynas, et ego faciam. Multa

praeterea sunt, nostris praesertim temporibus bona opera, quae pecunia indigent; sine pecunia nihil fit; tandem quid sentirent propinqui, si bona mea venderem et darem pauperibus? Denique relinquere omnia, id consilii est, non praecepti : cum ergo ad hoc non tenear, tuta prorsus possum cónscientia, quae mea sunt servare. Christus enim dixit : *Si vis* perfectus esse, vade..; non igitur *velle debeo,* et jure ac sine ullo peccato hoc nolo. De divitiis igitur quaestio non moveatur; de affectu autem ad divitias, aliud est.

Binarius igitur ille, ex concione Luciferi plane intellexit *cupiditatem* seu affectum ad divitias esse rete et laqueum diaboli, quo qui capiuntur, incidunt in vanum honorem mundi et inde in vitiorum omnium fontem, superbiam independentiae, quae cum aeterna salute est insociabilis, et confusionem, tenebras, remorsus, tristitiam, agitationem et omnis generis perturbationes, in hac ipsa vita generat. Igitur cum hi omnes effectus ex affectu ad divitias ineluctabili consequentia oriantur, atque a Lucifero intendantur, affectui illi omnino est renuntiandum; nam vult binarius iste in pace invenire Deum Dominum suum et scire se salvare. Deberet ergo dicere : *Volo* affectum tollere, sed istud *volo* dicere non

vult, quia rete in sacro etiamnum secessu captus vivum servat affectum et amat rete suum; ast inveniet et catenas, quas nunc non vult.

Quid igitur dicit? *Vellem,* scilicet non vult, nam qui vult, media adhibet; hic autem nullum ad mortem usque adhibebit. Quare autem non adhibet, et quare vellet tantum et non vult? Quia sui solius amans est, non Dei : Deo quidem servire vellet, non praecise propter Deum, sed propter seipsum, quod egregie a S. P. exprimitur : *ut* cum divitiarum commodis, *inveniret in pace Dominum suum et salvare se sciret,* serviens Deo simul et mammonae, felix nimirum in hac vita et in altera, secundum desideria sua. Fundamentum igitur Exercitiorum ille non intellexit, qui ordinat Deum et omnia ad se, ac non se et omnia ad Deum; atqui audivit illud : *et per haec,* non per contraria, *salvet animam suam.*

Haec tristissima innumerorum hominum historia est, qui de Deo vix in ullo solliciti et de sua tantum propria salute anxii, vellent quidem peccata mortalia non committere, atque in aeternum non damnari, sed re ipsa multum peccant et damnantur, ex eo praecise quod amorem sui amori Dei praeponentes, non nisi sua quaerant : amant animam suam et perdunt eam. In hunc sensum

aiebat S. Teresia : Amor proprius creavit infernum.

Interea primus ille Binarius in pace sibi facienda nequaquam deest : Ecce jam, ait, sacra Exercitia peregi, solitudinem et silentium servavi, bonam, immo generalem confessionem institui, saepius bonos sensus in meditationibus expertus sum; sentio pacem conscientiae; nunc ad orationem afficior, nollem pro toto mundo peccare mortaliter: sum ut nunquam ante, bene dispositus; homo nunc alius sum, res bene procedent, res bene procedent. — Non facit proposita quibus affectui illi obsistat; confidit sensibili suae dispositioni, et sic redit a secessu in mundum. Gratiae per infidelitatem respondit; causis ruinae subsistentibus, erunt probabiliter posteriora ejus pejora prioribus.

Notandum in hac meditatione non nisi indirecte et per consequentiam de vita agi sancte in posterum transigenda : directe namque de paupertate actuali vel saltem spirituali amplectenda quaestio est, ut retia et catenae evitentur; media autem de quibus loquitur S. P. sunt vel professio actualis paupertatis, et illud quidem radicale est; vel determinationes efficaces, quae affectum ad divitias enecent et certiorem faciant spiritualem pau-

pertatem : v. g. redditus omnes post expensas necessarias, in pauperes, vel in alia bona convertere, ut sic ditescendi ardor compescatur; vel luxum in suppellectili, in hortis, in domo, in vestibus, in equis tollere, aut restringere, etc.

Secundus Binarius *(secunda classis) vult tollere affectum, sed ita vult eum tollere, ut (tamen) maneat cum re acquisita, ita ut Deus veniat eo quo vult ipse, et non resolvit se ad rem relinquendam, ut ad Deum eat, etiamsi hic status sibi esset optimus.*

De hoc secundo Binario non dicitur, sicut de primo, *vellet,* quod in praxi ad nolle reducitur, sed *vult* tollere affectum; et, per consequens, spiritualem paupertatem sincere amplecti. Territus enim periculo quod in meditatione de vexillo Luciferi oculis ejus manifestissime apparuit, cernensque cum affectu illo non posse se et Deum Dominum suum in pace invenire et salvare se, statuit in corde suo spiritualem paupertatem mediis supra indicatis servare. Et haec quidem dispositio esset omnino laudanda et bene procul dubio cederet, si certo ei constaret non esse se per divinam voluntatem aut divinum beneplacitum ad actualem paupertatem invitatum, aut si haec paupertas in electo jam statu esset ei

impossibilis. At casus iste, ut supponitur, locum non habet; cum igitur possit ille talem paupertatem actualem amplecti, eam, quin de vocatione sua inquirat, a priori rejicit. Sed res ei etiam quoad spiritualem paupertatem non succedet. Nam eo ipso quod *actualem* non vult, ostendit se nec *spiritualem* sincere ac serio velle. Cur enim actualem non vult? Quia adhaeret divitiarum possessioni, et, per consequens, affectum habet ad divitias. Ideo dicit S. P. in colloquio de vexillis : NON MINUS *etiam in paupertate actuali;* nam qui veram habet paupertatem spiritualem, scilicet qui in perfecto est aequilibrio, quasi nullo negotio, ad leve etiam pondus divini beneplaciti, inclinat se in paupertatem actualem. Unde secundus ille Binarius incidet in primam classem. Neque gratiam extraordinariam omnino meretur aut expectare debet, quia vult Deum venire quo ipse vult, et non se resolvit ad rem relinquendam, ut ad Deum eat, etiamsi hic status sibi esset optimus.

Hic erat casus juvenis illius evangelici, quum vocantem se ad actualem paupertatem et ad vitam apostolicam Christum relinquens abiit, et juxta quosdam, postea damnatus est; cum hoc tamen discrimine quod certa juvenis illius fuit vocatio, vocatio autem binariorum sit

hypothetica : nesciunt enim, nondum confecto electionis negotio, utrum necne vocentur ad consilia evangelica; sed ut hoc ipsum negotium serio peragi possit, requiritur talis in eis praeparatio ac dispositio, ut, si paupertas actualis sit *eis* status optimus, illam generose amplectantur.

Hic igitur in praxim quinta annotatio reducenda est; hic namque annotatio illa finale suum objectum, a S. P. ab initio intentum et nunc aperte declaratum, tandem obtinet : *Intrare in Exercitia animo magno et cum liberalitate erga Creatorem ac Dominum suum, omne suum velle et libertatem ei offerendo, ut divina ejus Majestas, tam de se, quam de omnibus quae habet, disponat, juxta suam sanctissimam voluntatem.* Quam bene ista omnia ad litteram sumpta applicationem suam hic inveniunt! Initio autem ne innui quidem aggredienti Exercitia potuissent.

Tertius Binarius *(tertia classis) vult tollere affectum, sed ita illum vult tollere, ut etiam non teneatur affectione ad rem acquisitam retinendam vel non retinendam; sed vult solum velle illam vel nolle, prout Deus Dominus noster ipsi dabit velle, et (prout) personae tali melius videbitur ad servitium et laudem divinae suae Majestatis : et interea vult reputare (ita existimare) quod omnia relinquat in affectu, vires intendendo, ut neque illam rem,*

neque ullam aliam velit, nisi ipsum moverit solum *servitium Dei Domini nostri; ita ut* desiderium ut melius possit *servire Deo Domino nostro illum moveat ad rem sumendam vel relinquendam.*

Hic apparet quam nitidissime scopus hujus meditationis, qui in perfecta indifferentia consistit et in absoluta voluntate id amplectendi, quod e divino servitio magis fuerit. Nondum enim hic de ipsa electione facienda agitur, sed de praeparanda anima ad electionem serio peragendam. Ideo in tertio praeambulo gratia petitur, non eligendi, sed *ad eligendum*. Atqui ad hoc requiritur indifferentia illa de qua in ipso Exercitiorum Fundamento. Initio quidem indifferentia in genere proponebatur ut essentialis boni usus creaturarum conditio; hic autem ad electionem status applicatur : ast hic etiam sentitur difficultas : praxis enim theoria multo magis ardua est. Quid movere S. P. non debet, ut ad illam actualem indifferentiam suum exercitantem adducat? Ad ipsum nodum difficultatis pertingimus, quam ne innuere quidem in fundamento, sine periculo potuisset. In eo enim forte nunc exercitans est, ut audiat : *Vende quae habes, et da pauperibus. — Exi de cognatione tua.* Porro : *durus est hic sermo, et quis potest eum audire?* Certe nec primus, nec secundus Binarius eum

audient; cadunt enim in via, nec ad metam pertingent. *O quam arcta est via quae ducit ad vitam, et quam pauci inveniunt eam!* (MATT. 7, 14.)

Tertius Binarius perfectam illam habet indifferentiam, quam S. P., ut conditionem sine qua non, ad bonam faciendam electionem, in praeambulo ad electionem praerequirit. *Vult* nempe tollere affectum, idque plene ac sincere; *vult,* non ut secundus binarius, manendo cum re acquisita, sed *ita ut etiam non teneatur affectione ad rem acquisitam retinendam, vel non retinendam;* scilicet ita ut sit in statu illius qui se fecit plane indifferentem; quo in statu magna generositas ac liberalitas est erga Creatorem ac Dominum : sentit ille practice quis sit Deus, quis finis suus, et ad quid omnia reliqua super faciem terrae sita creata sint. Statera exinde in perfecto est aequilibrio, quod unice hic S. P. requirit, neque in hanc vel illam partem inclinans; cumque, per veram voluntatis indifferentiam nulli rei creatae adhaereat, nulla humana consideratione moveri jam poterit exercitans; nemoque nisi Deus eum vel ad dextram, vel ad sinistram inclinare poterit : *prout Deus Dominus noster ipsi dabit velle,* v. g. per secundum vel etiam primum *tempus* electionis; *et (prout) personae tali melius videbitur ad servitium et laudem divinae*

suae Majestatis; cum videlicet eliget per modum tertii temporis, in quo, ut jam praemonet S. P., sola ratione servitii et laudis divinae Majestatis moveri debebit. Hoc est vivere, *ut laudem Deum Dominum nostrum, ei reverentiam exhibeam, eique perfecte serviam,* et uti vel non uti creaturis in tantum in quantum juvant, atque ab iis abstinere in quantum impediunt : utque huic voluntatis indifferentiae nil possit officere, donec fiat electio, interea exercitans *vult reputare* quod omnia relinquat *in affectu;* sic enim manebit quidem aequilibrium, sed aderit quasi in radice virtus propendens ad partem naturali inclinationi contrariam sicque intacta libertas certius Deo servabitur; ita per vim sibi illatam, *vires intentendo, ut neque in illam rem, neque in ullam aliam velit inclinare se, nisi ipsum moverit* (hoc quasi ad satietatem vir paucorum verborum Ignatius repetit, quia omnino capitale est ad divinam electionem) SOLUM *servitium Dei Domini nostri;* longius adhuc procedit S. P., et non tantum proponit regulam *solius divini servitii,* sed *majoris* divini servitii, scilicet *Majoris Dei gloriae; ita ut* DESIDERIUM *ut melius possit* servire Deo Domino nostro illum moveat ad rem sumendam vel relinquendam. Hoc jam prospiciebat S. P., cum in fine Fundamenti, sola

indifferentia non contentus, addebat, quod omnimodae perfectionis est, et idem ac quod hic habemus sonat atque iisdem fere verbis exprimitur : UNICE DESIDERANTES *et eligentes ea, quae* MAGIS CONDUCANT *ad finem, ob quem creati sumus*. Vox autem *desiderantes* perfectionem dispositionis ad electionem indicat : *eligentes* vero tempus quo fiet electio.

Ex his patet quanti momenti in mente S. P. sit haec quarta Exercitiorum dies. In meditatione de duobus vexillis admirabile lumen ortum est, quo et Luciferi fraudes, et veram vitam, quae in solo Christo est, in aperto panduntur. Possunt quidem, at non sine magna abnegatione, divitiarum eludi pericula, sed, ut experientia constat, multi iis capiuntur et pereunt; sub vexillo autem Christi summa, quae possibilis est, securitas existit, et spes magnae in caelis gloriae. At sub hoc vexillo, insignes illi sunt qui amore in Christum ardentes, se ipsi socios Redemptionis animarum tradunt ac devovent.

In meditatione autem de Binariis, vividissime et quasi definitivo impulsu exercitantis voluntas sollicitatur. Vidisti vexillum Luciferi, vidisti vexillum Christi, quonam in puncto voluntas tua est? Si Deus ad relinquenda omnia, et ad Christum pauperem sequendum te

invitet, quomodo te jam dispositum sentis? Si respondendo haeres et adhibuisti *notam* meditationi de Binariis subjectam, cum Binariis vel primae vel secundae classis locus tuus est; ideoque vel vocationem non habes, vel vocationi definitive resistis. In utroque casu, in via es relinquendus, non quidem sine viatico, sed cum adminiculis ad reformandam, meliori quo poterit fieri modo, vitam tuam. Si autem cum tertio binario animose consisteres, per omnem viam ad metam usque perducereris.

In fine meditationis ita colloquia indicantur : *facere eadem tria colloquia, quae facta sunt in contemplatione praecedenti de duobus vexillis.* Quam initio meditationem vocavit S. P., eam nunc contemplationem vocat; utrumque enim nomen ei, juxta suam naturam, competere potest, utpote quae et actiones exhibet et considerationum materias. Meditationis autem nomen exercitio binariorum solum convenit.

Summi momenti nota a S. P. subjicitur, quae magna ex parte praecedentium verborum : *vires intendendo,* etc. explicatio est, et non solum in praesenti electionis puncto, sed et in multis aliis adjunctis, cum magna utilitate adhibebitur :

Notandum est, quod quando sentimus affectum vel repugnantiam contra paupertatem actualem,

quando non sumus indifferentes ad paupertatem vel divitias, multum juvat (hominem) ad extinguendum talem affectum inordinatum, petere in colloquio *(etiamsi sit contra carnem, scilicet carnis sensum) ut Dominus ipsum eligat ad paupertatem actualem, et (protestari) se (id) velle, petere et supplicare, dummodo sit servitium et laus divinae ejus Bonitatis.*

Hoc est *agere contra,* hoc est vincere se ipsum. « Maximi momenti, ait R. P. Roothaan, » est hoc *notandum* S. Patris, quin etiam ad » illud saepius nos remittit. Agitur enim in » illo de modo vincendi *repugnantiam,* quam » quis in se sentiat, quominus ad ea, quae » meliora sibi cognoverit, amplectenda se de- » terminet. Scilicet orationi insistendum tunc » est, et petere a Domino debemus, quamvis » inviti, quamvis veluti cum timore ne exau- » diamur, petere tamen, et instanter petere, » nosque ipsos, quamvis repugnantes protes- » tari promptos ad ea quae Dominus velit. » Neque est exigui meriti aut parum efficax » hujusmodi oratio, cujus ipse Dominus ago- » nizans nobis exemplum dare dignatus est. » — Non est ergo omittendum triplex collo- » quium, propterea quod talia desideria non » sentiamus : sed, contra, magis etiam tunc » colloquio triplici insistendum. »

Hoc principium quam latissime patet. Vix enim unquam sine sensu contrario, aut bona fieri possunt, aut vitari mala. Quis, v. g., de periculosis praesertim carnis illecebris, quin contra affectum luctetur, sincere a Deo petat victoriam? Quis, ut plurimum, Exercitiis spiritualibus vacare, in iisque facultates suas fideliter applicare possit, quin, ut ait Ignatius, eas facultates vi trahat, et conatum contra divagationes, taedium, ariditatem, adhibeat? Quam saepe et fiduciam et amorem in Deum, compassionem et affectum erga Passionem aliter quam verbis exprimere non possumus? An propterea verba illa inutilia sunt? Multum abest. Deus enim conatus nostros plus respicit, quam successum; successus donum Dei est, duri autem conatus dona sunt facta Deo. Neque aliquis reponat : quod dico, non sentio, immo sentio contrarium; nam verba illa actus sunt voluntatis; respicit autem Deus voluntatem multo magis quam sensum; ideoque verba illa quasi conatu exorta multo efficaciora sunt ipsis consolationibus, atque a Deo melius exaudiuntur. Hinc pulchrum illud S. Francisci Salesii effatum : « Qui indefessus dicit Deo : ego te amo, reapse tandem amabit. »

Ceterum non intendit in hoc *notando* S. P. ut actualis paupertas eligatur; hoc enim a di-

vina voluntate et gratia procedat oportet, sed ut sublato omni impedimento, quod ab affectu proveniret, omni sua libertate potiatur exercitans, et in perfecta stet indifferentia. Sic, ut virga incurvata ad rectitudinem reducatur, in sensum oppositum primum flectatur necesse est.

Quinta die secundae hebdomadae, factis jam meditationibus de Vexillis et de Binariis, exercitanti tempus ad electionem faciendam aperitur. Ei igitur ab hac die exponentur a directore eae quae paulo infra a S. P. sapientissime describuntur regulae electionis: explicatio autem non uno tractu fiet, sed per partes, habita ratione dispositionis subjecti, idque plerumque extra contemplationes nisi utilius director judicet nonnullam partem sub forma meditationis tradere.

Sed in hoc Exercitiorum loco, plus quam in alio quocumque, ea quae in Annotationibus decima quarta, decima quinta et decima sexta tantopere a S. P. commendantur, observanda sunt, nisi velit Director opus Dei impedire, et quandoque destruere. De cogitationibus ergo exercitantis circa vocationem director non inquirat, sed eum quoad hoc integre Domino committat; si quidem enim exercitans in tertia Binariorum classe jam invenitur, multo melius

est, ait Ignatius, ut ipsum inter et Deum res illa tractetur. Si autem ille de suis cogitationibus cum directore sponte loquatur, ne obliviscatur instructor solius esse Dei animas ad vitam religiosam et apostolicam vocare; neque igitur in unam vel alteram partem propendere videatur : noveritque totam, tempore Exercitiorum, sui officii rationem in hoc consistere, 1. Ut oret; 2. Ut praeparet ac disponat ad gratiam a Deo suscipiendam; 3. ut regulas electionis, prout in libello Exercitiorum jacent, tradat atque explicet exercitanti, atque ei errores ac illusiones detegat, ratiocinandi principia exponat, ejusque ob oculos Christum Dominum exhibeat. De ceteris non sit sollicitus, memorque sit nihil in hoc genere stare posse, quod non a Deo veniat, exhortationesque hic diffidentiam potius ac repugnantiam parere quam prodesse ac juvare : *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus caelestis, eradicabitur* (Matt. 15, 13).

Director itaque, dum labor fit electionis, non tantum exercitanti indifferentiam commendet, sed et ipse sit indifferens; nilque aliud quaerens et optans quam divinam voluntatem, omnia Deo optimo et omnipotenti committat. Humanae interventioni, ea quae S. P. non sine Sancti Spiritus afflatu conscrip-

sit, si bene ac perite adhibeantur, abunde sufficient, et sufficere declaravit S. Fundator: *In talibus Exercitiis, multo convenientius est, et multo melius, quaerendo divinam voluntatem, ut ipse Creator ac Dominus animae suae (quae sua facta est) se communicet, eam amplexans in suum amorem ac laudem, eamque disponens ea via, qua melius poterit ei deinceps servire; ita ut qui tradit Exercitia, non divertat, nec se inclinet ad unam, neque ad alteram partem; sed consistens in medio ad instar bilancis, sinat Creatorem cum creatura, ac creaturam cum suo Creatore ac Domino immediate operari.* Ex his patet velle S. P., non simulatam aut apparentem tantum in directore indifferentiam, sed veram ac sinceram. Non enim politice, sed sincere semper, quia in Deo, procedit.

Si autem reniti contra divinam voluntatem exercitantem Director animadvertat, decimam sextam annotationem, quae cum *Notando* post Binarios posito concordat perfectissime, ei proponat.

Igitur, post meditationem de Binariis, sic ordinabuntur omnia a quinta die Exercitia secundae hebdomadae : fiet quotidie contemplatio circa unum aut duplex mysterium cum repetitionibus et applicatione sensuum; simultanee extra illa exercitia tradentur et ex-

planabuntur exercitanti regulae de electione, quam electionem animo revolvet qui exercetur, non tantum extra, sed etiam intra contemplationes, dum Christum, ducem suum et exemplar, intuebitur. Cum Christo colloquatur, atque eum humiliter et instanter interroget : *Domine, quid me vis facere* (Act. 9, 6)? eumque intus loquentem docilis audiat. *Loquere, Domine, quia audit servus tuus* (1 Reg. 9, 3).

Ad tres modos humilitatis quod attinet, eos non prima die, scilicet quinta hujus hebdomadae, sed una ex sequentibus, exercitanti, prout utilius judicabit, attenta dispositione ejus et gradu maturitatis, director proponet, ita ut tota die modi illi oculis exercitantis obversentur, et fiet saepius in die triplex de duobus vexillis colloquium.

Advertenda hic est nota quam subjicit quintae diei S. P. : *Examen particulare, post prandium, et post caenam, fiet de defectibus et negligentiis circa Exercitia et additiones hujus diei; et sic in iis diebus qui sequuntur.*

His positis, ad contemplationes Mysteriorum, suo ordine juxta libellum faciendas, jam redeamus.

Antea tamen, *notam* quam S. P. post undecimam diem posuit, apposite hic transcribimus, ne ordinem ab ipso propositum im-

mutare videamur, dum reipsa mentem ejus exequimur. Sic ea sonat: « *Prima nota est, quod in contemplationibus secundae hebdomadae, prout unusquisque vult temporis (plus vel minus) impendere, vel prout profectum faciat, potest extendere, vel abbreviare (hebdomadam); si extendere (voluerit, fiet) sumendo Mysteria visitationis Dominae nostrae ad Sanctam Elisabeth, Pastores, Circumcisionem pueri Jesu, et tres Reges, et sic de aliis; et si abbreviare (voluerit, poterit) etiam subtrahere ex illis (Mysteriis) quae (supra) posita sunt; quia hoc est (tantum) dare introductionem quamdam et modum ad postea melius et magis complete meditandum.* »

Ex his concludimus iterum amplissimam Directori a S. P. concedi facultatem aut restringendi aut ampliandi contemplandorum Mysteriorum materias, nec certa Mysteria certis hebdomadae diebus esse assignanda, modo methodus contemplandi eadem semper servetur. Ordinem quem assignavit considerat ipsemet ut confectum quoddam in exemplum paradigma, et introductionem quamdam et modum, ad postea, scilicet extra Exercitia, melius et magis complete contemplandum. Ceterum quae dicimus inde egregie confirmantur, quod in fine libelli, sine ulla aut divisione materiarum aut ad certos dies assig-

natione, Mysteria multa in puncta distributa proponat, ut ex illis, pro opportunitate Director pauciora vel plura depromat ad libitum.

Ad utilitatem igitur eorum qui tradunt Exercitia, usi facultatibus a S. P. concessis, ea omnia proposuimus et proponemus Mysteria quae in fine libelli exponuntur. Res ordinabit Director.

Sexta dies

PRIMUM EXERCITIUM

Erit contemplatio de profectione Domini nostri a Nazareth ad flumen Jordanem, et quomodo fuit baptizatus. Infra (inter Mysteria Vitae Christi Domini nostri.)

Oratio praeparatio solita.

Primum praeambulum. — Trahere in memoriam quomodo Christus Dominus, relicta Matre, ivit a Nazareth ad Jordanem, ubi a Joanne baptizatus est; et descendit super eum Spiritus Sanctus; atque aeterni Patris vox audita est : *Hic est Filius meus dilectus.*

Secundum praeambulum — Compositio loci. Erit hic videre viam a Nazareth ad Jordanem, et ipsius ripam fluminis.

Tertium praeambulum erit idem, et eadem

forma quae fuit in meditatione Incarnationis Domini.

Primum punctum. — *Primo,* ait S. P., *Christus Dominus noster vale dicto* benedictae *Matri suae, venit a Nazareth ad flumen Jordanem, ubi erat S. Joannes Baptista.*

Christus Dominus noster, scilicet amore omni dignus, quia Christus, id est Salvator; dignus et infinita reverentia, quia Deus et Dominus, postquam per triginta annos, ut ad missionem suam se praepararet, in profundissima obscuritate et humilitate delituit; ex eadem humilitate nunc obedit Patri et suum orditur apostolatum. *Humiliavit semetipsum factus obediens,* nondum quidem usque ad mortem crucis, quia nondum venit hora, sed usque ad mortem omnium etiam sanctissimorum affectuum, ut servitio ac laudi Patris sui ad finem usque totum se tradat ac mancipet. Quod ad tres dies tantum duodennis in templo fecerat, id nunc per tres reliquos vitae suae annos praestabit: *In his quae Patris mei sunt, oportet me esse.*

Ecce jam docet quid abnegationis in apostolatu requiratur. *Qui non odit patrem et matrem, insuper et animam suam, non potest meus esse discipulus* (Luc. 14, 26), scilicet, qui non relinquit patrem et matrem propter me, ut se

apostolatui integrum tradat, vel qui saltem non dimittit omnem erga eos carnalem affectum, ut illum in spiritualem convertat, non est talis qui tanto apostolatus munere libere fungi valeat.

An ergo odio habuit Jesus Matrem suam? Absit. Quomodo enim odisse potuisset sanctissimam Virginem quae gaudium est Sanctissimae Trinitatis, gloria caelestis Jerusalem, et laetitia Israel? Quomodo amantissimus ille Filius odisse potuisset Matrem suam piissimam? Eam amavit tenerrime, nedum eam odisset; ideo ait cum sublimi ac simplici unctione S. P., *valedixit benedictae Matri suae,* consolans eam de profectione sua; odit tamen hoc sensu, quod propter infinite majorem Patris amorem, eam dereliquit, nec in hoc dolore ejus moveri se passus est.

Respice Jesum, respice Mariam eo momento quo sibi invicem vale dicunt. Audi verba eorum divinae voluntatis amore plena. Dulcissima Mater patitur Filium suum ire ad mortem; Jesus autem Matrem propter suum Patrem ita derelinquit, ut ab illa die quasi matrem non amplius habere videatur. In cruce moriens, cum eam alloquitur, non dicit : Mater, sed : *mulier, ecce filius tuus.* Et cum loqueretur semel ad turbas, *dixit ei quidam :*

ecce mater tua et fratres tui foris stant quaerentes te; respondens dicenti sibi ait : Quae est mater mea, et qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos, dixit : Ecce mater mea et fratres mei (MATT. 12, 46). Eamdem ab apostolis suis omnis carnalis affectus resignationem exigit Christus.

Sequar cum magna humilitate, et contemplabor Jesum euntem solum ad Jordanem, et intimos ejus sensus animo revolvam. Quemadmodum duodennis sensit dolorem Matris : *Ego et pater tuus dolentes quaerebamus te,* ita et nunc, sed multo magis, dolorem sentit *benedictae* Matris suae, quam, mortuo Josepho, solam et unicam relinquit, expectantem Passionem Dilecti Filii ac Domini sui ; sed vincit amor Patris, vincit amor animarum, vincit amor animae meae; propter me dimittit Matrem et omnia : O utinam intime cor Jesu cognoscerem, et quanta ex amore mei fecerit sentirem!

Accedam cum Jesu ad ripam Jordanis. Respiciam multitudinem populi, et in medio Joannem Baptistam, Praecursorem Domini sanctissimum, pilis camelorum vestitum, et zona pellicea circa lumbos praecinctum ; esca autem ejus erant locustae, et mel sylvestre. Tanta in humilitate sanctitas, tanta vitae

austeritas omnium animos percellebat, atque multitudinem populi ad Jordanem adtrahebat : *Exibat ad eum Jerosolyma et omnis Judaea, et omnis regio circa Jordanem; et baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata sua* (MATT. 3, 5). Qui ita omnia pro Deo reliquerunt, ut in paupertate, poenitentia, humilitate, contemptu mundi, verbum divinum annuntient, quasi divina et victrice potestate induuntur. Pharisaeis ipsis ac Sadducaeis audacter dicebat Joannes : *Facite ergo fructum poenitentiae... jam securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur* (MATT. 3, 8).

Munere autem suo Praecursoris fungens, Christum annuntiabat : *Ego baptizo in aqua; medius autem vestrum stetit quem vos nescitis : Ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est; cujus ego non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti* (JO. 1, 26, 27). *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, et igni* (MATT. 3, 11).

Secundum punctum. — *Secundo,* ait S. P., *Sanctus Joannes baptizavit Christum Dominum nostrum, et volenti illi excusare se, reputando se indignum qui ipsum baptizaret, dicit Christus : (sine modo : sic enim decet nos implere omnem justitiam).*

Dixerat Joannes, pridie adventus Christi

ad Jordanem : *medius vestrum stetit,* etc. et ecce videt Jesum, cujus faciem nunquam viderat, venientem ad se, et, inspirante Spiritu Sancto, ait : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Hic est de quo dixi : Post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat. Et nesciebam eum, sed ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans* (Is. 1, 30, sq.). Ubi venit Maria ad Elisabeth, exultavit Joannes prae gaudio in utero Matris suae. Quanto magis exultavit hic et sanctificatus est, cum suis oculis vidit Jesum venientem ad se!

Ad quid venit Jesus ad Jordanem et quid initio apostolatus sui praemisit? Venit ut baptizaretur et se profundissime ante praedicationem suam humiliaret, nec non ut idem demissionis exemplum in Sancto suo Praecursore exhiberet. Quam verum est cogitationes nostras non esse cogitationes Dei! Necessarium plerumque putamus ad praedicationis fructum, ut populus magnam de nobis habeat existimationem. Non ita Jesus judicat. Praedicaverat Joannes peccatoribus : *facite ergo fructum dignum poenitentiae* (Matt. 3, 8.) et veniebant illi ut baptizarentur, et confitebantur peccata sua; et ecce Dominus tanquam unus ex illis contritus et humiliatus accedit ut baptizetur et ipse, medios inter peccatores; tum

pugna illa humilitatis exstitit, in quam unice S. P. oculos dirigit, Joannem inter et Christum. *Joannes autem* prohibebat eum dicens : *ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me?* (MATT. 3, 14). Humiliat se Joannes, humiliat se Christus; sic faciunt omnes qui oculos habent; sic faciunt qui veri salvatores sunt animarum; sic faciunt qui non quae sua sunt quaerunt, sed quae Jesu Christi. *Humiliavit semetipsum... propter quod... Deus dedit illi nomen* Jesu, id est, propter quod fecit illum Salvatorem mundi.

Respondens autem Jesus, dixit ei : *Sine modo : sic enim decet nos implere omnem justitiam,* scilicet ego me humiliando, utpote qui portem omnium iniquitates; tu vero ex humilitate obediendo : forma enim humilitatis obedientia est : *humiliavit semetipsum factus obediens.* Hinc patet cur S. P., qui humilitatem suae Societatis fundamentum posuit, obedientiam voluerit esse ejusdem Societatis virtutem characteristicam, ex qua genuini sui filii ab iis qui genuini non essent dignoscerentur.

Tertium punctum. — *Tertio,* ait S. P., *descendit Spiritus Sanctus super eum, et vox Patris de caelo, attestans : (hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui).*

Contemplare, quasi praesens adesses, magnificum illud et amabile spectaculum, multitudinem populi et Joannem baptizantem, humilem Jesum Dominum, indutum, non solum forma servi, sed et forma peccatoris. Quid sentit Joannes et quantum caelitus illuminatur, cum lavat, quasi peccatorem, innocentissimum Jesum, puritatem infinitam! Quanto in eum ardet amore! *Quanto pro me vilior, tanto mihi carior.* In sola humilitate, amabilitas.

Quantum autem humilitate SS. Trinitas delectetur et glorificetur, ipsamet illico splendidissimo miraculo declarat : illud plebs oculis suis non videbit, testis tantum erit humilitatis; soli Jesus et Joannes videbunt; plebs autem per Joannem cognoscet.

Baptizatus autem Jesus, confestim ascendit de aqua, et ecce aperti sunt ei caeli : et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam et venientem super se. Et ecce vox de caelis dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui (MATT. 3, 16, SQ.).

Qui se humiliat exaltabitur, non in altera tantum, sed et in hac praesenti vita. *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum* (1 REG. 2, 30). Christus speciem peccatoris coram omni plebe induit, et ecce aperiuntur super eum caeli,

et Spiritus Sanctus descendit super eum in innocentiae ejus testimonium; immo et eo praecise momento ubi Christus in ipsam turpissimam abyssum, peccati nimirum, descendit, ipsum suum esse Filium cum infinito amore et honore declarat Pater caelestis : *Hic est Filius meus dilectus;* quare dilectus? Quia adeo humiliatus divinam gloriam reparat; ideo in humiliato et dilecto sibi pater complacet.

Vis et super te descendat, in te conquiescat, te regat, te in concionando, in dirigendo animas inspiret Spiritus Sanctus? Humilia te. Vis et de te dicat Pater : Hic est filius meus dilectus? Humilia te, quantum potes. Vis complaceat sibi semper in te Deus? *Humilia te in omnibus* (Eccli 3, 20).

Hoc est *intime cognoscere Dominum meum, qui pro me factus est homo : Humiliavit semetipsum.* Ex hoc prosilit et crescit amor, et ex amore desiderium opprobriorum. Haec fuit Sancti Ignatii cognitio, et omnia ei bona venerunt pariter cum illa. Videtur, et in vita sua, et in suis Exercitiis, et in suis Constitutionibus, filiis suis dicere : *Non judicavi me aliquid scire inter vos nisi Jesum et hunc* humiliatum.

In fine triplex de duobus Vexillis colloquium.

SECUNDUM EXERCITIUM

Quomodo Christus fuit tentatus

Solita oratio praeparatoria, unice intendendo Dei servitium et laudem.

Primum praeambulum erit historia : Quomodo statim a baptismo ivit Jesus in desertum, in quo quadraginta dies jejunavit et ter fuit tentatus a diabolo. Dein Angeli ei ministraverunt.

Secundum praeambulum erit compositio, videndo locum, scilicet viam a Jordane in desertum, et desertum ipsum.

Tertium praeambulum idem quod in mysterio Incarnationis.

Primum punctum. — *Primo,* ait S. P. *postquam esset baptizatus, secessit in desertum, ubi jejunavit quadraginta dies et quadraginta noctes.* Matth. ait : *Tunc Jesus ductus est in desertum a Spiritu.* Apud Marc. *Et statim Spiritus expulit eum.* — Apud Luc. *agebatur a Spiritu in desertum ut tentaretur a diabolo; et cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus...* Marcus addit : *eratque cum bestiis.*

Spiritus Sanctus, qui Spiritus Patris et Filii est, duxit, expulit, egit Jesum in desertum. Spiritus enim Sanctus humanam Jesu

voluntatem movebat in omnibus; sic et justi omnes, qui omnes sunt templum Spiritus Sancti, a Spiritu Sancto moventur; *Qui Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei,* qui scil. sinunt agi se Spiritu Dei, sicut corpus in homine anima agitur.

Ad quid autem Jesum movet Spiritus Sanctus? Ad quid movet omnes filios Dei et maxime viros apostolicos? Ad solitudinem primum et ad vitam absconditam, ad orationem et corporis macerationem.

Ad solitudinem *ducitur* Jesus, juxta illud : *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus* (Os. 2, 14). In solitudine enim anima apostolica, a strepitu mundi segregata, audit loquentem Spiritum Sanctum, ab eo divinum influxum accipit, ut non sua dicat ad populum, sed quae a Deo veniunt, et ut divinam ad convertendos et sanctificandos auditores virtutem accipiat. *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (Matt. 10, 20). Secus, poterunt quidem concionatores, more disertorum oratorum, pulchra et bene compta eructari, sed verba hominis ista erunt, non Dei, et sine supernaturali fructu : *aes sonans, et cymbalum tinniens* (1. Cor. 13, 1). Apostolus autem dicebat : *Veni, non in sublimitate sermonis aut sapientiae* (humanae)

verbis annuntians vobis testimonium Christi... praedicatio mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione Spiritus et virtutis : ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei (1 Cor. 2. 1. 4). Inde S. P. dicit filiis suis in reg. 16 summ. : « Omnes... » spiritualium rerum studiis incumbant... illa » enim interiora sunt, ex quibus efficaciam ad » exteriora, *ad finem nobis propositum,* perma- » nare oportet. » Hinc ipsemet, etsi totius Societatis onus ferens, in sola gratiarum actione duas integras horas consumebat. Sanctus autem Xaverius tota die in laboribus occupatus, magnam noctis partem coram SS. in oratione transigebat. Sic omnis vir vere apostolicus, statim atque iis, quos imponit obedientia et zelus animarum, laboribus vacavit, quasi suapte natura ad solitudinem et ad Dei consortium propendet.

Ad vitam in deserto absconditam *expellitur* et *agitur* Jesus a Spiritu. In baptismo enim Jesu mirabilia facta erant, statim a Joanne divulganda : *et ego nesciebam eum : sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit : super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto : et ego vidi : et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei* (Io. 1, 31-34). Hinc magnus rumor de

Jesu et admiratio. Spiritus autem Dei laudis odium suggerit et amorem vitae absconditae. Ideo Jesum a plausu statim avocans, eum non tantum duxit, sed egit et expulit in desertum. Et ita Jesus latere per totam vitam elegit, ut post abitum suum tantum, scilicet a resurrectione sua, divinitatem suam resplendere voluerit. Quantum et propriae suae in caelis gloriae et saluti animarum damnum afferant ii qui indulgent vanitati, solus Deus scit : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (Matt. 11, 29). *Ego autem non quaero gloriam meam... Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est* (Jo. 8, 50-54). *Eratque cum bestiis,* ait Marcus; Christus nempe sicut in stabulo, ita in deserto eo descendit, ubi jacebat homo, qui *cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* (Ps. 13, 21).

Duxit Jesum Spiritus Sanctus in desertum ut ibidem oraret. Nulli enim alii occupationi eo tempore vacavit, praeterquam orationi. Sic se, ut suo nos exemplo doceret, ad praedicationem praeparavit. Quid enim praedicator est evangelicus, nisi praeco ipsius Dei? *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos* (2 Cor. 5, 20). Jam vero qui legatione Christi fungitur, multo minus a studiis

suis, quam ab auditione Christi ipsum delegantis, quae dicat haurire in oratione debet. Multo plura, eaque ad finem efficacia, invenientur in una hora orationis quam per multas proprii laboris dies ac noctes. Nam habebit tunc locum effatum Jesu : *Spiritus Patris loquitur in vobis.*

Ductus est Jesus praeterea in desertum ad exercendam corporis macerationem. Ibidem enim, per quadraginta dies et quadraginta noctes, ita jejunavit, ut nil omnino refectionis sumpserit. *Et nihil manducavit in diebus illis;* nec sine dolore istam abstinentiam produxit, sed *consummatis illis* diebus poenitentiae, *esuriit,* ita ut cibi necessitas urgeret, et Divinitas humanitatem sustinere per miraculum desineret. Sic nos, et praesertim apostolos, de necessitate poenitentiae et de gulae refrenatione exemplo suo admonuit : *Hoc daemonium non ejicitur nisi in oratione et jejunio* (Matt. 17, 20). Quot divini verbi praecones et missionarii vires tantum quaerere se autumant vel profitentur, qui non solum cum detrimento animarum, sed et cum suae propriae fratrumque suorum aestimationis jactura, gulae simpliciter serviunt! Quot miseri christiani, dum poenitentias vitant et intemperentiae indulgent, libidinis mancipia fiunt! *O infernalis ignis lu-*

xuria, exclamat S. Hieronymus, *cujus materia gula!* Apostolus autem aiebat ad Philip. : *Multi enim ambulant, quos saepe dicebam vobis (nunc autem et flens dico) inimicos crucis Christi : quorum finis interitus : quorum deus venter est* (PHIL. 3, 18).

Quam dulce est cum Jesu solo in deserto, cum Jesu orante et jejunante, conversari, eum intueri, et cum eo colloqui!

Tandem ductus est Jesus in desertum *ut tentaretur a diabolo.*

Secundum punctum. — Ait S. P. : *tentatus fuit ab inimico tribus vicibus. Accedens tentator dixit ei : Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant : Mitte te deorsum : Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.*

Vere tota vita Christi fuit humiliatio. *Humiliavit semetipsum usque ad mortem.* Ipso solum excepto peccato, nulla est ex peccati ignominiis quam in se cumulate non assumpserit; immo et ipsam peccatorum omnium ignominiam in se suscepit, factus pro nobis peccatum. Quanta fuit Filio Dei humiliatio, tentari, quasi posset ad peccata etiam gravissima deduci! idque a diabolo, scilicet ab angelo qui contra se, Deum ac Dominum in caelo impie insurrexerat, et quem in infernum praecipitem dederat!

Quare autem ita tentari et humiliari voluit? 1. Ut solatio servis suis esset, qui omnis generis iisque et ignominiosis et aerumnosissimis tentationibus futuri essent obnoxii. *Modicum nunc si oportet vos contristari in variis tentationibus* (1 Petr. 1, 6). 2. Ut doceret nos vincendi modum. 3. Ut victoriam in nostris certaminibus suis meritis nobis obtineret. *Fidelis autem est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere* (1 Cor. 10, 18). — *Confidite, ego vici mundum* (Is. 16, 33). Ne igitur, etiam in maximis probationibus, cadamus unquam animo. *Cum ipso sum,* ait Dominus, *in tribulatione; eripiam eum, et glorificabo eum* (Ps. 90, 15). 4. Ut ostenderet futuros in Ecclesia doctores, praedicatores, praesules, Apostolos, primo oportere tentationibus probari ac oratione et meditatione in solitario secessu firmari, sicque eos abundantiam spiritus in Deo hausturos, quam deinde in alios effundant. 5. Ut Luciferum, totumque in eo ejus exercitum, superaret.

« Tribus modis, ait S. Gregorius, tentatio » agitur : suggestione, delectatione, et con- » sensu. Et nos cum tentamur, plerumque in » delectationem, aut etiam in consensum la- » bimur..... Tentari per suggestionem potuit

» (Christus) : sed ejus mentem peccati delec-
» tatio non momordit. Atque ideo omnis dia-
» bolica illa tentatio foris, non intus fuit. »
(Hom. 16 in Evang.)

Contemplare Christum esurientem et in oratione positum; contemplare et Luciferum forma humana indutum, non, ut est, horribili facie et terribili, sed, ut decipiat, benevola et amica. Dubitabat enim utrum necne esset Jesus Filius Dei : audierat autem Praecursorem affirmantem eum esse Deum, sed videns Christum tam pauperem, tam despectum, dubitabat. Certior autem volens fieri, ut, si vere esset ille Dei Filius, odium suum in eum exerceret, eo modo illum tentavit quo speraret fore se extra dubitationem.

Prima tentatio fuit gulae, seu sensualitatis, quae ad carnis concupiscentiam refertur. Cum esuriret Jesus, fingens Lucifer, pater nempe mendacii, compassionem, accedens ait : *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Si Christus illud, quod ei suggerebatur, miraculum illico patravisset, eo ipso et scivisset Lucifer illum esse Deum, et eum simul gula vicisset. Vincit autem eum in utroque Christus. Primo, non mutando lapides in panes, naturali resistit appetitui; secundo, asseverando suam erga verbum Dei reverentiam,

nihil ultra id facit, quod potest et debet omnis homo. Confusionem enim et pudorem incutiens Lucifero, respondet : *scriptum est : Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.*

In hac et in ceteris duabus tentationibus, resistit Christus Lucifero objiciens verbum Dei; qui modus vincendi non solum a Christo, sed et a Petro Apostolo nobis perhibetur; hic enim postquam sobrietatem et vigilantiam adversus diabolum commendavit, hoc addit : *Cui resistite fortes in fide* (I Par. 5, 9). Quantumvis enim titillet caro et insidietur diabolus, victores evademus, si vivide magnitudinem bonitatis Dei, si vivide horrorem peccati adversus infinitam Majestatem commissi, si vivide Christum pro peccatis morientem, si vivide aeternas peccati poenas et aeternam paradisi gloriam, fide apprehenderimus. *Memorare novissima tua et in aeternum non peccabis* (Eccl. 7, 40). — *Omnibus diebus vitae tuae,* aiebat filio suo Tobias, *in mente habeto Deum, et cave ne aliquando peccato consentias.* (Tob. 2, 14).

Secunda tentatio, quae fuit vanae gloriae. Invenit Lucifer Christum a parte sensualitatis, quae infima est, inexpugnabilem; nequaquam animo cadit ac desistit capitalis ille hu-

manae naturae inimicus, sed more suo aliam partem adoritur, et superiores instigat appetitus; ad vanam scilicet gloriam et ad superbiam excitat eum qui sensualia conculcavit.

Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem et statuit eum super pinnaculum templi et dixit ei : si Filius Dei es, mitte te deorsum. Et sicut Christus verbo Dei ipsum primo vicerat, ita et ipse nunc ut persuadeat, ei verbum divinum proponit : *Scriptum est enim : Quia Angelis suis mandavit de te,... et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum* (Ps. 90, 11, 12). Semper procedit pater mendacii per sophismata et fallacias. Falsae ratiocinationi, et blasphematoriae verbi Dei interpretationi per certam veritatem a Deo revelatam Jesus respondet : *Ait illi Jesus : Rursum scriptum est : non tentabis Dominum Deum tuum,* scilicet, si scriptum est : *Angelis suis etc.,* scriptum etiam est : *Non tentabis etc.* Promisit quidem Deus etiam miracula per Angelos, sed necessaria; non autem ea promisit praesumptioni ac superbiae. Sic promisit homini Deus gratiam in periculosissimis tentationibus, sed ea conditione ut non amet homo periculum, et in illud nec voluntarie nec temere incurrat; nam rursum scriptum est : *Qui amat periculum, in illo peribit.* Ex his facile apparet quantum nobis

ab omni cum diabolo ratiocinatione cavere debeamus; cum fortiore ne lucteris; Angelus enim est homine multo acutior.

Tertia tentatio, cupiditatis simul et superbiae consummatae, seu plenae erga Deum rebellionis atque independentiae; haec recta ad regnum Satanae conducit. Iterum assumit Diabolus Jesum eumque deportat. Quid Christo ignominiosius, et quanta in eo humilitas! De hac re tractans S. Gregorius Papa egregie dicit : « Sed ecce cum dicitur Deus » homo vel in excelsum montem, vel in sanc» tam civitatem a diabolo assumptus, mens » refugit credere, humanae hoc audire aures » expavescunt. Qui tamen non esse incredi» bilia ista cognoscimus, si in illo et alia facta » pensamus. Certe iniquorum omnium caput » diabolus est : et hujus capitis membra sunt » omnes iniqui. An non diaboli membrum » fuit Pilatus? an non diaboli membra judaei » persequentes, et milites crucifigentes Jesum » fuerunt? Quid ergo mirum, si se ab illo per» misit in montem duci, qui se pertulit etiam » a membris illius crucifigi? (Serm. 16 in » Evang.) ? » Addi etiam posset mirum non amplius illud videri debere, si attendamus Christum jam gloriosum non refugere, quominus a sacrilege communicante in pectus

diabolo subditum introducatur et ad pedes satanae ibidem projiciatur.

Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde : et ostendit ei omnia regna mundi, et gloriam eorum ; et dixit ei : Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. Haec tentatio, omnium pessima, supremus est Luciferi assultus : indirecte quaerit iterum utrum Jesus sit Filius Dei. Tam modeste enim in prioribus tentationibus se gesserat Jesus, neutrum faciens miraculum, ut Lucifer ipsum suspicaretur non esse Dei Filium. Si Filius Dei est, indignabitur, et exprobrabit ei quod, cum damnatus angelus sit, tale quid proponat ei qui Filius est Dei et universorum Dominus, et sic divinitas ejus patefiet ; si contra tentationi consentit, purus homo est, quem captaverit laqueis suis. Cum Christus tentationi vanae alicujus gloriae restiterit, retia jam simul et catenas parat ei Lucifer, de quibus S. Ignatius in contemplatione de duobus Vexillis ; ostendit ei, non divitias et honores qualescumque, sed omnia regna mundi, et gloria eorum oculos Jesu percellere conatur ; flagrans etiam nunc invidia illa qua in caelo arserat, eo quod non sibi Lucifero, sed humanae naturae Filii Dei divinitas futura esset hypostatice copulanda, fingit se Dei filium et universorum Domi-

num, totiusque mundi principatum Christo offert, ea tantum conditione, ut cadens in terram adoret se. *Haec omnia* (additur in Ev. Lucae : *quia mihi tradita sunt : et cui volo, do illa,* quasi ei, utpote filio Dei, illa essent sibi tradita) *tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Quam bene arrogans exprimitur superbia offerentis, quasi sua essent, omnia regna mundi, et petentis ut non solum eum adoret, sed cadens adoret! Quam apte arrogantia illa quadrat cum magna illa cathedra ignis et fumi, de qua Ignatius! Quam et vera sunt quae de fraudibus Luciferi dicit S. P.! Non solum fallacia, quae veram gloriam et beatitudinem dare nequeunt, bona promittit, sed et dupliciter mentitur; nam primo, ne festucae quidem dominium habet, nedum tanta possideat; secundo, etiamsi possideret, promissis nullatenus deceptor staret.

Quot miseros ita decipit Lucifer promittendo divitias, honores, delicias, quibus non nisi remorsus, dolores et infernum re ipsa procurat!

In prioribus tentationibus pacifice Christus respondit; sed hic, cum debita Deo adoratio Dei inimico attribuatur, Luciferum cum firmitate et indignatione humiliat et depellit, suoque vero eum nomine appellat : *Vade, Sa-*

tana; scriptum est enim : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. Tunc reliquit eum diabolus. Lucas autem dicit : *diabolus recessit ab illo, usque ad tempus;* nam dubitandum non est diabolum multa adhuc, Passionis praesertim tempore, adversus Jesum esse machinatum.

Haec omnia ad nostram doctrinam et consolationem, quantumvis ignominiosa, passus est Jesus. *Militia* enim *est* vita hominis super terram; non continuum quidem est bellum, sed continua militia, ita ut Christi servus arma in manibus semper habere debeat. *Fili, accedens ad servitutem Dei, praepara animam tuam ad tentationem* (Eccli. 2, 1).

Tertium punctum. — Ait S. P. : *Tertio (Angeli accesserunt, et ministrabant ei.)*

Contemplare Christum virtute Divinitatis uno momento a monte in desertum suum redeuntem. Et ecce illico post devictas tentationes, mutatur desertum in paradisum. Angeli de caelo descendunt, ad Jesum accedunt, cum magno amore ei gratulantur, ac dapes e caelo delatas offerunt.

« Disce hinc, ait Corn. a Lap., eum qui » fortiter vincit diabolum, ejusque suggestio- » nes, mereri et praemiari consortio, consola- » tione et ministerio Angelorum. Nam victor » Satanae est quasi alter Angelus; idque ut

» per Angelos animetur ad futura cum diabolo » certamina. »

In fine fiat colloquium ut in meditatione de duobus Vexillis.

Tertium et quartum hujus diei exercitium erunt utriusque praecedentis, ad horam missae et ad horam Vesperarum, repetitiones. **Quintum** autem erit applicatio sensuum circa eadem duo mysteria. Quae repetitiones et applicatio sensuum, eodem prorsus ordine, circa mysteria singulis diebus proponenda fient per reliquam partem secundae hebdomadae.

Septima dies

De vocatione Apostolorum

(Io. c. 2.)

Cum eo tendant *integra* Exercitia, ut ad vitam religiosam et apostolicam praeparentur ac disponantur ii, quos ad talem statum sublimare Deus dignabitur, satis apparet quem locum in mente S. P. N. occupet haec contemplatio. Atque propterea, fusius, quamvis solita cum simplicitate, et quasi impensius hoc mysterium in fine libelli exponitur. Etenim hoc, quod nusquam alias, tribus punctis

tria momenti non exigui consideranda subjiciuntur; nimirum :

Primo, *quomodo Apostoli erant rudis et abjectae conditionis.* **Secundo;** *dignitas, ad quam fuere tam suaviter vocati.* **Tertio.** *dona et gratiae, quibus fuere elevati supra omnes Patres novi et veteris Testamenti.*

De tribus istis, quae brevissime dicta multa continent ad scopum a S. P. intentum efficacissima, nonnulla hic dicenda veniunt, quibus haec contemplatio illustretur ac fecundetur.

Primo, quomodo Apostoli erant rudis et abjectae conditionis. Rudes erant, scilicet, sub omni respectu *inculti,* illitterati, politioris humanitatis omnino expertes, qui tamen cum societate, tum graeca, tum romana omnium aetatum doctissima et in litteris artibusque prae ceteris exculta, doctrina concertare vincendo deberent. Praeterea *abjectae* omnino, si Mathaeum solum excipias, conditionis erant, pauperes atque ex piscatione victitantes, aliisque non minus abjectis operibus dediti, et per consequens, ignoti, contemptibiles, ac nullius speciei et auctoritatis. Tales esse se ipsimet agnoscunt. *Non veni,* ait Paulus, *in sublimitate sermonis... non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis. Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum, et hunc crucifixum* (I Cor. I, 2,

sqq). — *Puto enim quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit. Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo, nos infirmi, vos autem fortes; vos nobiles, nos autem ignobiles..... et laboramus operantes manibus nostris.., tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc* (I Cor. 4-9-13).

Quare autem ita rudes, ita abjectos Jesus elegit?

Primo, ut omnium oculis pateret sua et Evangelii sui divinitas, sicque nulli sive humanae arti, sive potentiae, christianae fidei regnum et victoria posset attribui. *Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute* (I Cor. 4, 20).

Creando seu educendo aliquid e nihilo suam maxime Deus exhibet potentiam; creatio enim a nullo fieri potest, nisi ab Eo qui infinitus est. Ideo ab ipso Genesis exordio omnipotentia illa et cum ea Deus revelatur : *In principio creavit Deus*. Sicut in ordine naturali suam potentiam Deus creando manifestat, ita ferme etiam in ordine supernaturali, qui naturali quasi infinite superior est, procedit Deus. Quemadmodum enim creavit in Adamo supernaturalem gratiae statum, ita post lapsum, amissum statum illum denuo e nihilo suscitat.

Quando Pater misit in terras Filium suum,

ut mundus per eum ad divinam vitam rediret, Filius *exinanivit* semetipsum, et homo factus se ad nihilum redegit : *Ego autem sum vermis, et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis* (Ps. 21, 7). Tunc autem novam in ordine gratiae creationem perfecit, cum in cruce moriens omnia, et vitam ipsam amisit atque ad nihilum omni sub respectu redactus est. Eamdem rationem in eligendis Apostolis tenuit, qui vicarii ejus et coadjutores forent in opere omnium divinorum divinissimo, in redemptione animarum. *Non sapientes elegit, non potentes, non nobiles : sed quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia et contemptibilia elegit Deus et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret;* quare ita egit Deus? *Ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus* (I Cor. 1, 26-29). Ut romani imperii vires frangeret, elegit Christus despectos piscatores; ut nobiles ac reges prosterneret, vilissimos de plebe assumpsit; ut sapientes oratores ac philosophos confunderet, rudes atque ignaros adhibuit, *ut non glorietur omnis caro in conspectu Dei.* Sicut ita in principio Christus, ita ferme et nunc; ii soli veri erunt Apostoli et servatores animarum, qui ad exemplum Domini sui, ad mortem usque se humiliaverint.

Secundo, quia Christus paupertatis amans et humilitatis, maluit habere operis sui socios pauperes et humiles. *Cum simplicibus sermocinatio ejus* (Prov. 7, 32). Cum sui similibus magis homo delectatur. — *Qui se humiliat, exaltabitur* (Matt. 23, 32).

Tertio, quia oportebat Apostolos in humilitate esse fundatos, ne de tanta conversione mundi, et de tanta Ecclesiae gloria inaniter gloriarentur. Ad hoc multum juvabantur recordando unde essent assumpti. *Suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui* (Ps. 112, 6, 7).

Secundo, *dignitas ad quam fuere tam suaviter vocati.*

Dignitas apostolica tanta est, ut cum ea imperatorum ac regum dignitas ne comparari quidem possit; omnia enim hic, non caelestia tantum sunt, sed divina. *Regnum meum non est de hoc mundo* (Io. 18, 36); et sicut regna mundi dedecuissent Christum, ita dedecent Apostolos; non enim rerum terrenarum et corporum rectores sunt Apostoli, sed immortalium animarum, quas ad imaginem suam condidit Deus, ac aeternae gloriae destinavit; neque certae regiones ipsis sunt assignatae, sed totus orbis. Quis credidisset Petrum, piscatorem

illum, crucifixo Jesu romanum imperium olim subditurum, nec romani solum imperii, sed universi orbis pontificium consecuturum?

Quid sunt Apostoli? sicut Christus Dominus visibilis in terris legatione a Patre accepta functus est, ita Apostoli pro Christo jam invisibili eadem legatione funguntur; et sicut per Jesum, divinum suum verbum loquebatur Deus et exhortabatur, ita et nunc per Apostolos. *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos* (2 Cor. 5. 20). Pater de Filio dixit : *Ipsum audite.* Christus autem Apostolis : *Qui vos audit, me audit* (Luc. 10. 16); *et : Euntes in mundum universum praedicate Evangelium... Qui crediderit... salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur* (Marc. 16. 15-16).

Quid est igitur Apostolus et sacerdos? Est, juxta Patres, *expressa Christi forma;* unus cum Christo, qui unus est *sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech;* unus cum Christo : *persona,* nam consecrat dicendo, non : hoc est corpus Christi, quae forma esset invalida, sed : *hoc est corpus meum;* unus *potestate;* nam quae poterat Christus jurisdictione, id potest et sacerdos : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (Io. 6. 58.) Remittit Apostolus peccata, aperit caelum, claudit infernum, gignit animas Deo et pro Christo Pastore

oves ejus ad pascua ducit. Unus *doctrina : Quaecumque audivi a Patre meo nota feci vobis* (Jo. 15. 15). Unus *fortuna : Si me persecuti sunt, et vos persequentur* (Jo. 15. 20). Unus *gloria,* id est gloria Jesu, seu Servatoris, omnium maxima : *Volo ut ubi ego sum, illic sit et minister meus* (Jo. 17, 24).

Ad quam (dignitatem) *fuere tam suaviter vocati.*

Tam suaviter. Non uno quasi ictu fulminis, ut Saulus, duodecim Apostoli vocati et formati sunt, sed lente per tres annos cum paterna suavitate.

Primo eos ad amorem suum allexit Jesus, vel potius, ut cum S. P. loquamur, eorum animam amplexans in suum amorem ac laudem, suos sibi effecit; amore suo eorum provocavit amorem : *Quum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos* (Io. 13. 1). A primo jam aspectu, amoris vulnere eos vulneraverat : pro sua enim voluntate his vel illis plus vel minus suae divinitatis illecebras manifestabat. Divinus ejus vultus tam erat amabilis, oculi ejus tam sereno ac divino amore ardebant, tota ejus externa species tam divinam et humilem dignitatem tamque abnegatione plenum amorem spirabat, ut rectorum hominum corda in se raperet. Sic cor Petri rapuit, qui,

ut citius ad dilectum suum Jesum accederet, a navi in mare prosiliit. Apostolos suos suae erga miseros omnes charitatis testes semper habere voluit, non tantum ut divinum Cor suum cognoscerent et amarent, sed ut et ipsi ad omnem erga proximos charitatem efformarentur. Quantum corda Apostolorum commovebantur, dum videbant Jesum tam amanter miseriis omnibus compatientem! Quantum commoti sunt, cum Jesus flenti viduae Naïm suscitatum a mortuis filium tam benigne restituit; cum flevit, sive super mortuum Lazarum, sive super ingratam Jerusalem; cum prodigi filii exposuit parabolam; cum feminae adulterae, cum peccatrici Magdalenae tam misericorditer condonavit!

Nec corda tantum Apostolorum ad charitatem Christus efformavit, sed et mentes eorum cum insigni patientia doctrina illuminavit, et ad virtutes omnes colendas praeparavit.

Imperfectos adhucdum, cum in caelum ascendit, reliquit Apostolos, siquidem paulo antequam ab eis discederet, incredulitatis eos coarguit; sed ultima et immensa gratia suum opus perfecit. A longinquo, scil. e caelo, invisibilis, mittendo Spiritum suum, ab imperfectione Apostolos ad culmen perfectionis momento temporis assumpsit.

Tertio, *dona et gratiae, quibus fuere elevati super omnes Patres novi et veteris Testamenti.*

Eo ipso quod Christus evehens suos ad Apostolatus dignitatem, unum eos secum fecit; eo ipso quod et secum legatos aeterni Patris effecit, et dispensatores omnium Mysteriorum et Sacramentorum Dei; eo ipso quod, ad similitudinem Dei Patris, animarum omnium mundi genitores ac patres esse voluit; eo ipso, inquam, tantum eos supra Patres novi et veteris Testamenti exaltavit, quantum Christus ipse, seclusa divinae ejus Personae ac propria Verbi Incarnati dignitate, supra quascumque creaturas est exaltatus. Plura, eaque altissima dona potestatis Apostolis concessit quae nec Matri suae, totius caeli Reginae et dignitate atque sanctitate super Sanctos omnes et Angelos exaltatae, concessit.

Inter alia dona et gratias Christus Dominus Apostolis suis elargitus est sequentia :

1. In ipsa sua vita mortali miram eis dedit potestatem : *Et dedit illis virtutem et potestatem super omnia daemonia, et ut languores curarent.* (Luc. 9, 4.) ita ut reprobis angelis dominarentur, et dicerent : *Daemonia subjiciuntur nobis* (Luc. 16, 17).

2. In convictum suum et in stupendam nimis familiaritatem admisit, ita ut cum Illo,

sicut cum amantissimo Patre agerent. *Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos* (Jo. 15, 9). Et antequam ad mortem iret : *Jam non dicam vos servos; quia servus nescit quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos; quia omnia quae audivi a Patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat : ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis* (Jo. 15, 15, sqq.) Immo cum Mater ejus staret ad januam, eum expectans, veluti illius, ad docendam abnegationem, oblitus, respondit : *Quae est mater mea, et qui sunt fratres mei? Et extendens manum suam in discipulos, dixit : Ecce mater mea et fratres mei.* Post suam autem resurrectionem : *Nuntiate fratribus meis* (Matt. 28, 10). Quis non miretur Petri cum Jesu, et Jesu cum Petro familiaritatem?

3. Dedit eis potestatem praedicandi in universo mundo : *Euntes docete omnes gentes :* concessit divinam inspirationem in docendo : *Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini; non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (Matt. 10, 19). — Concessit et infallibilitatem : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (Matt. 23, 20).

4. Gloriosa eos fecit Ecclesiae suae funda-

menta : « Fundamenta ejus, ait Augustinus, » in montibus sanctis. Quare sunt fundamenta » Apostoli? Quia eorum auctoritas portat in- » firmitatem nostram. »

Super se ipsum, lapidem scilicet angularem, Christus Simonem Ecclesiae petram posuit, supra quam Apostoli veluti fundamenta aedificantur : *Tu es Petrus, et super hanc petram, aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferni non praevalebunt adversus eam.* Dedit illi et claves caeli : *et dabo tibi claves regni caelorum; et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis* (Matt. 16, 18). Dixit eidem : *Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos* (Luc. 12, 32).

5. A Pentecoste confirmavit eos in gratia.

6. Mirabili modo et cum mirabilibus divinisque effectibus misit in eos Spiritum Sanctum, a quo omnino sunt transformati et quasi in alios mutati. Sicut Christus antea suum in eos ipse amorem exhibuerat, ita et ipsi ab ea hora amore arserunt in Christum. Tunc enim, illuminante Spiritu Sancto, vere cognoverunt Jesum et amorem ejus. Ab illo tempore omnia extra Jesum arbitrantes ut stercora, non judicaverunt se aliquid scire praeter Jesum, et hunc crucifixum. *Quis nos* separabit *a chari-*

tate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an persecutio? an gladius? (sicut scriptum est : Quia propter te mortificamur tota die : aestimati sumus sicut oves occisionis). Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Jesu Domino nostro (Rom. 8, 35, sq.).

7. Potestatem miraculorum tam mirabilem eis concessit, ut sola Petri umbra infirmos illico sanitati restituerit. Hanc eis praedixerat. Philippo enim respondens dixerat : *Amen, amen, dico vobis, qui credit in me, opera quae ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado : Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio* (Io. 10, 11).

8. Promisit fore eos cum ipso universorum hominum, in fine mundi, judices : *Sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel* (Matt. 19, 28).

Cum juxta scopum S. P. N. tanti momenti sit haec de Apostolorum vocatione materia, non tantum ad fecunditatem contemplationis ea quae diximus conducent, sed et de iis

magno cum fructu extra contemplationes cum exercitante Director conferet.

PRIMUM EXERCITIUM

De vocatione Andreae, Petri, Joannis et Jacobi

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum est historia. Erit hic quomodo Petrus et Andreas vocati ter fuere, primo ad quamdam notitiam, secundo, ad quamdam sequelam; tertio vero, cum Jacobo et Joanne ad sequelam perfectam.

Secundum praeambulum, Compositio, videndo locum. Erit hic videre ripam Jordanis, ubi Joannes Baptista praedicabat, domum in qua habitabat Jesus, et littus maris Galilaeae.

Tertium praeambulum, idem ac in mysterio Incarnationis.

Primum punctum. — Vocatio ad quamdam notitiam.

Sistam me ad ripam Jordanis, et ibi contemplabor S. Joannem praedicantem et baptizantem turbas. Prope ei adsunt duo ex discipulis suis, quorum unus Andreas erat, frater Petri. Fortuito ibi Andreas adfuisse videtur; magna autem ibi gratia ei a divina Providentia praeparatur, vocatio nempe apostolica.

Tale saepissime est magnarum vocationum initium. Ambulabat ibi Jesus.

Altera die iterum stabat Joannes, et ex discipulis ejus duo. Et respiciens Jesum ambulantem, dicit : Ecce Agnus Dei, ille scilicet, cujus quotannis a quindecim saeculis in Paschate figuram colitis. *Et audierunt eum duo discipuli loquentem, et secuti sunt Jesum.* Omnes quidem circumstantes audierunt, sed duo tantum ita audierunt ut sequerentur Jesum. Simplices nempe illi et recti corde, divinosque S. Joannis sensus attendentes, gratiae qua interius movebantur responderunt. Tales sunt qui ad Apostolatum vocantur. Multi quidem idem verbum Dei audiunt, sed interius illud, propter inordinatas affectiones, non recipiunt.

Quam simplicia sunt, quam divina, quae sequuntur! *Conversus autem Jesus et videns eos sequentes se, dicit eis : Quid quaeritis? Qui dixerunt ei : Rabbi,* (quod dicitur interpretatum Magister) *ubi habitas?* Humiles quippe atque ingenui, Agnum Dei nec attingere, nec alloqui ipsi audebant, sed cum reverentia jamque a Corde Jesu allecti, pone sequebantur, si forte ad eos, quod optabant, Jesus se converteret. Quam parum suspicabatur tunc Andreas, quod eum jam Jesus *diligeret in odorem suavitatis!* Sciebat quippe Jesus quem quaererent, sed

quasi ab eo obsequium postularent, interrogabat : *Quid quaeritis?* et hoc quidem, ut responderent : te, Domine, quaerimus. Sic et allicit Jesus, et quaeri vult. *Ubi habitas?* ut scilicet adire te facile possimus. « Si quaeris » Jesum, ait Th. a Kempis, invenies Jesum. » *Trahe me : post te curremus in odorem unguentorum tuorum* (Cant. 1, 3). — *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum* (Cant. 1, 6).

Dicit eis : Venite et videte; et in simplicitate sua, *venerunt et viderunt ubi maneret, et apud eum manserunt die illo.* Contemplare Jesum et duos discipulos, audi colloquia; intuere et tam alliciens cor Jesu, et cor Andreae; ut et ipse, forte futurus Apostolus, afficiaris erga Jesum, et sinas pariter te trahi in vinculis charitatis.

Erat autem Andreas frater Simonis Petri unus ex duobus, qui audierant a Joanne et secuti fuerant eum. Vide nunc quam naturaliter, quam simpliciter et quasi fortuito in summis negotiis procedat Deus : *Invenit hic primum fratrem suum Simonem, et dicit ei : Invenimus Messiam (quod est interpretatum Christus.)* Ecce quomodo propter puritatem et simplicitatem jam illuminatus est Andreas et credit! *Confiteor tibi, Pater, Domine caeli et terrae, quod abscondisti haec a sapientibus, et revelasti ea parvulis* (Luc.

10, 21). Idem erit et de Petro, qui sinit se, ut parvulum, adduci a fratre ad Jesum. *Et adduxit eum ad Jesum*. Quam tenera sunt simul et sublimia prophetica illa quae sequuntur! *Intuitus autem eum Jesus;* ac simul omniscientiam suam ac divinitatem aperiens, *dixit : Tu es Simon, filius Jona; tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*. Sic summa facit simplicissime Omnipotens, qui immensam mundi creationem ipsemet paucis verbis enarravit : *In principio creavit Deus* caelum et terram. Quae regia potestas ei quae pauperi ac rudi piscatori annuntiatur, comparari possit?

Secundum punctum. — *Vocatio ad sequendum aliquo modo Christum, cum proposito revertendi ad possidenda ea quae reliquerant* (Luc. c. 5).

Non sine admiratione notabit, qui res scripturisticas callet, quam apte S. P. triplicem illam vocationem distinxerit. Primo quidem aspectu videretur narrationes Luc. c. 5, Matt. c. 4 et Marc. c. 1, unum et idem factum referre; sed si circumstantiae attentius examinentur, patebit vocationem a Luca expositam et aliam esse ab ea quam ceteri duo evangelistae enarrant, atque hanc praecessisse. In utroque casu quidem aderant utriusque familiae fratres, Petrus et Andreas, Jacobus et Joannes; in utroque vocatio accidit ad mare

Galilaeae; sed apud Lucam *turbae irruebant in* Jesum, *ut audirent verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genesareth*. Cum autem a turba premeretur Jesus, retro conversus vidit duas naves, alteram Petri et Andreae, alteram filiorum Zebedaei, et ut se expediret, ascendit in navem Petri, et inde docebat de navicula. Ubi docere cessavit, tunc tantum jussit duci navem in altum, et post miraculosam piscationem, fratres ut se sequerentur vocavit. In narrationibus Matt. et Marc., nec de turba et de concione Christi agitur, nec de ejus ascensione in navem, nec de miraculosa piscatione. Immo nec turba ibi ulla adfuisse videtur : Christus enim nedum turba premeretur, erat *praetericns secus mare Galileae,* et apud Matt.; *ambulans juxta mare Galilaeae* vidit duos fratres, etc.

Lucae igitur narratio in hoc puncto est consideranda.

Contemplare Jesum secus stagnum Genesareth et turbas, scilicet rectas ac simplices animas, *irruentes* in eum, *ut audirent verbum Dei*. Oves meae, dicet olim Christus, *vocem meam audiunt*. Ubi Christi Apostolus unice gloriam Dei et salutem animarum intendit, non se, sed *verbum Dei* praedicat; inde praedicatio ejus efficax fit, *et penetrabilior omni*

gladio ancipiti; et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus (HEBR. 4. 12).

Et vidit duas naves stantes secus stagnum : piscatores autem descendebant et lavabant retia. Ascendens autem in unam navim, quae erat Simonis (ut sic verae navis, i. e. verae Ecclesiae, in qua sola ad portum salutis aeternae pervenitur et quae Petri est, figuram adumbraret) *rogavit eum* (sic cum humilitate procedit Dominus noster) *a terra reducere pusillum.* Et sedens docebat de navicula turbas. Aspiciam eum loquentem et verba ejus cum turba excipiam.

Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem: *Duc in altum et laxate retia vestra.* Sic Apostolos in medium mundi mare mittit, non ut occidant pisces, sed ut eos capiant et a corruptione ac morte servatos in aquas transferant quae saliunt in vitam aeternam. Sed simul docet Christus impossibilem esse spiritualem illam piscationem, nisi ei ipse adfuerit : *Et respondens Simon dixit illi : Praeceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus;* vide nunc fidem Petri : *in verbo autem tuo laxabo rete.* Nec sua eum fides fefellit : *Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam; rumpebatur autem rete eorum.* Sic praefigurabatur multitudo populorum ab Apostolis, duce Petro, Christo lucrifacienda.

Et annuerunt sociis qui erant in alia navi ut venirent et adjuvarent eos. Et venerunt, et impleverunt ambas naviculas, ita ut pene mergerentur. Et ecce jam apparent et ingenua mens, et candida humilitas, et amabile cor Petri. *Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Jesu dicens : Exi a me, quia homo peccator sum, Domine.* Contemplare scenam illam, contemplare eo momento cor Petri et Cor Jesu. Vide et reliquos : *Stupor enim circumdederat eum, et omnes qui cum illo erant, in captura piscium, quam ceperant : similiter autem Jacobum et Joannem, filios Zebedaei, qui erant socii Simonis. Et ait ad Simonem Jesus : Noli timere; ex hoc jam homines eris capiens.* Piscatio igitur erat figura aut parabola Apostolatus.

Tantopere eos Cor Jesu rete amoris sui et divinae suae potentiae ceperat, ut quatuor illi piscatores naves et pisces nihili ducentes in comparatione Jesu, omnia reliquerint, ut Christum sequerentur ac lucrifacerent. Sic qui novit Jesum, divitias, honores, voluptates, affectus mundanos et carnales, et libertatem omnem nihili facit, et arbitratur ut stercora, ut Christum lucrifaciat, ut Christo adhaereat, ut Christum cum Apostolis sequatur. *Et subductis ad terram navibus, relictis omnibus, secuti sunt eum.*

Tertium punctum. — Vocatio ad sequendum in perpetuum Christum Dominum nostrum (S. MATT. 4. MARC. 1).

Ambulans autem Jesus (Marc. ait : *Praeteriens) juxta mare Galilaeae, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, et Andream fratrem ejus mittentes rete in mare... Et ait illis : Venite post me et faciam vos fieri piscatores hominum.*

Ambulans. — *Praeteriens*. Ideo certe Jesus ibi ambulabat, ut ad vitam Apostolicam quatuor discipulos vocaret, quae res sane erat summi momenti ; sed solet divina Providentia sine apparatu sua etiam maxima exsequi consilia. Sic ambulans ibi et praeteriens exhibetur Jesus, videtur et quasi fortuito invenire et vocare Petrum ejusque socios. Forte et nihil mihi tale exspectanti obviam gratia sua occurrit Jesus. Utinam semper ei cum magnanimitate et liberalitate respondissem! Gratia venit et transit. Si Petrus et Joannes vocanti Christo dixissent : Occupamur nunc, rem perpendemus et videbimus, Christus probabiliter eos relinquens, praeteriisset, nec eos amplius vocasset. *Nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia*. Vide et tu ne gratiam vocationis non amplius reversuram transire sinas. *Hodie si vocem Domini audieris, noli obdurare cor tuum* (Ps. 94. 8).

Expresse Petrum et Andream vocat Jesus, non cogens, sed invitans ad evangelica consilia; et ut eos rei magnitudine alliciat, vocationis omnium altissimae naturam per allegoriam piscationis designat : *Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum.* Quantum a pisce distat hominis anima, quantum a terrenis ac perituris aeternitas, tantum a qualicumque etiam regia inter homines conditione distat Apostolatus Christi : *Omnium divinorum divinissimum est cooperari Deo in salutem animarum,* ait S. Dionysius.

Ne momento quidem haeserunt discipuli Petrus et Andreas : Nam *illi continuo (statim,* ait Marc.) *relictis retibus secuti sunt eum.* Ex istis tamen retibus habebant unde viverent; nihilominus illa, et cum illis professionem suam cum magna liberalitate laeti reliquerunt, ut ex mendicato vitam sustinerent. *Ecce,* dicet olim Petrus Christo, *ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Multum relinquit qui omnia quae habet relinquit, insuper et spes omnes suas.

Et procedens inde (Jesus) *vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedaei, et Joannem fratrem ejus, in navi cum Zebedaeo patre eorum, reficientes retia sua, et vocavit eos.* Multo adhuc mirabilius divina hic potentia elucet : nam Jacobum et

Joannem a praesenti eorum patre, non jam ad tempus, sed in perpetuum, Christus abstraxit, idque jure divino; nam Deus et parentum et filiorum et universae creaturae Dominus est, neque jure tantum, sed et ex admirabili atque omnipotenti gratiae virtute; nam hic, non addito ad quid vocaret, simpliciter vocavit.

Quanto autem animo, et quanta cum ingenuitate S. Joannes et S. Jacobus vocanti Jesu responderint, ipsemet Spiritus Sanctus in sacris Litteris consignavit : *Illi autem* STATIM *relictis retibus, et relicto patre suo Zebedaeo in navi cum mercenariis, secuti sunt eum.*

Sic reliquit pro Christo omnia S. P. N., qui, insalutata familia, Manresam evasit, nec suorum epistolas quidem legere postmodum voluit, sed clausas igne combussit; ita et Sanctus Franciscus Xaverius, qui in Indias jamjam profecturus, ne tantillum quidem, ut matri ultimo valediceret, a via recta divertere consensit. Ita et Stanislaus et multi alii de Societate nostra, qui nedum visitandam singulis annis aut crebrius suam familiam censerent, eas visitationes toto animo aversabantur, et, salva obedientia, quantum in ipsis erat, detrectabant. Qualiter uni ex discipulis suis licentiam petenti ut patrem aliquamdiu curaret senem, ac mox, postquam demortuum

sepeliisset, Christi sequelae se totum mandaret, Dominus responderit, narrat MATT. (VIII) : *Alius autem de discipulis ejus ait illi : Domine, permitte me primum ire et sepelire patrem meum, Jesus autem ait illi : Sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos.*

In fine, colloquium vel colloquia, *Pater noster.*

SECUNDUM EXERCITIUM

Vocatio ceterorum Apostolorum

JO. I, MATT. 9

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Erit hic quomodo *Christus vocavit Philippum; ut habetur cap. 1. S. Joannis, et Matthaeum, ut ipse Matthaeus dicit cap. 9, et ceteros Apostolos, de quorum particulari vocatione Evangelium non facit mentionem.*

Secundum praeambulum, compositio loci. Erit videre viam qua ibat Jesus in Galilaeam, et telonium S. Matthaei.

Tertium praeambulum erit idem ac in mysterio Incarnationis.

Primum punctum : Vocatio S. Philippi et probabiliter S. Bartholomaei.

Joan. c. 1. *In crastinum voluit* (Jesus) *exire*

in Galilaeam, et invenit Philippum, et dicit ei Jesus : sequere me.

Contemplare Jesum et Philippum. Jesus videtur casu Philippo occurrere, tum quum specietenus nil amplius faciendum haberet in Judaea, et vellet transire in Galilaeam; sed re ipsa exibat sciens eo loco inventurum se illum discipulum quem ad Apostolatum erat evecturus. Sic divina Providentia etiam ea quae fortuita aut quandoque etiam contraria videntur praevidet, et cum magna simplicitate ordinat et exsequitur. Contemplare Philippum, virum eximii candoris, et simplicitatis amabilissimae, atque ideo Jesu dilectissimum. Simplicitate illa ac ingenuo candore delectatus Jesus, cum Philippo mira familiaritate egit; inde, cum in deserto multitudinem satiare vellet, Philippum affatus est : *Philippe, ubi ememus panes, ut manducent hi?* Utque ostenderet Evangelista quantopere Christo simplicitas placeat et cum simplicibus libenter conversetur, addit : *Hoc autem dicebat tentans eum. Ipse enim sciebat quid esset facturus* (Io. 6. 6). Hujus simplicitatis amabilissimum signum in ultima caena edet iterum Philippus. Cum enim Christus dixisset : *Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis; et amodo cognoscetis eum, et vidistis eum,* erupit ille in can-

didissimam hanc interrogationem, cui cum familiaritate Jesus respondit : *Dicit ei Philippus : Domine, ostende nobis Patrem;* mirabilis illa simplicitas, sed mirabilius quod addit : *et sufficit nobis. Dicit ei Jesus. Tanto tempore vobiscum sum; et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem meum. Quomodo tu dicis : Ostende nobis Patrem? Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me?* (Is. 14, 8, sq.). O stupenda nimis familiaritas Dei cum hominibus! *Vere cum simplicibus sermocinatio ejus.*

Talem discipulum tam recti cordis vocavit Jesus simpliciter duobus verbis : *Sequere me.* Videbo intimam illo momento et mutuam amoris communicationem Jesum inter et Philippum qui illico relinquit omnia, ut in perpetuum sequatur Christum.

Erat autem Philippus a Bethsaida, civitate Andreae et Petri. Invenit (scil. quaerendo eum, nam ut simplicitate simillimus ei erat, ita et amicissimus, nec ulla mora teneri poterat, quin ei Jesum nuntiaret ac eum Christo pariter secum adjungeret) *Invenit Philippus Nathanael, et dicit ei : Quem scripsit Moyses in lege, et Prophetae, invenimus Jesum filium Joseph a Nazareth. Et dixit ei Nathanael : A Nazareth potest aliquid boni esse?* Contemptibilem enim civitatem, sicut cetera omnia, Jesus delegerat. *Dicit*

ei Philippus : Veni, et vide. Vidit Jesus (qui, ut Deus, omnes et omnia noverat, et corda pro libitu movebat), *Nathanael venientem ad se, et dicit de eo : Ecce vere Israelita in quo dolus non est.* Quam praeclare hic Christus et simplicitatem extollit, ac politicae rationi agendi notam foedaque stigmata inurit! Suo eum nomine Christo appellanti Nathanael respondet : *Unde me nosti?* et ecce admirationem ejus multo adhuc magis movet Jesus, suam ei omniscientiam, et per consequens, suam divinitatem aperiens : *Respondit Jesus, et dixit ei : Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu vidi te.* Et ecce ex recto ac simplici corde stupenda fides exilit : *Respondit ei Nathanael, et ait : Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israel.* Admirans ipse *respondit Jesus et dixit ei : Quia dixi tibi, vidi te sub ficu, credis : majus his videbis. Et dixit ei : Amen, amen, dico vobis, videbitis caelum apertum, et Angelos Dei ascendentes et descendentes supra Filium hominis.*

Nathanaelem eumdem fuisse ac Bartholomeum, ut videre est apud Corn. a Lap., vix non omnino certum est; ex quo melius notus Sanctus ille Apostolus apparet.

Secundum punctum : Vocatio Matthaei.

Ad littus maris prope Capharnaum, quam civitatem pro tempore Apostolatus sui Christus

sibi delegerat, contemplare Jesum multa turba circumdatum, quae, propter admirabilem paralytici sanationem, tremebat et glorificabat Deum. Contemplare et telonariam mensam ad quam publicanus, idemque perceptor seu potius exactor publicorum tributorum, Matthaeus assidet. Ecce Christus coram turba ad eum accedit : *Et cum transiret inde Jesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthaeum nomine. Et ait illi : Sequere me. Et surgens, secutus est eum.*

Pauperes tantum hucusque Christus ad Apostolatum vocaverat, et ex hoc erat vocaturus; unum nunc divitem vocat, ut divites non deserantur nec desperent; vocavit et simplices viros et candidos, nunc vocat peccatorem, ut ostendat in Matthaeo sicut in Magdalena, divitias, potentiam et misericordias Cordis sui. Novit enim Jesus de peccatoribus, immo et de persecutoribus vasa facere electionis. Peccator fuerat Paulus et blasphemator; peccator et haereticus fuerat S. Augustinus; mundanus et peccator fuerat S. Ignatius; peccatores fuere et innumeri alii, qui ex peccatis ipsis suis tanta cum misericordia et amore a Deo condonatis, arserunt amore in Christum, et ejus Ecclesiam athleticis laboribus laetificarunt et illustrarunt. Peccavi et ego; et ecce pro inferno quem toties merui,

Jesus lavit peccata mea in sanguine suo, et me rebellem, me ingratum, me tortorem et crucifixorem suum, amplectitur in amorem suum, et forte eligit in familiarem et Apostolum. *Misericordias Domini in aeternum cantabo.*

Sequere me : « non irrationabiliter Apostoli » Christum secuti sunt, ait S. Hieronymus, » cum tantae virtutes, tantaque signa praecesserint, quae Apostolos, antequam crederent, vidisse non dubium est. Certe fulgor » ipse et majestas ipsa divinitatis occultae, » quae etiam in humana facie relucebat, ex » primo ad se videntes trahere poterat aspectu. Si enim in magnete lapide et succinis » haec vis esse dicitur, ut annulos et stipulam » et festucas sibi copulent; quanto magis Dominus omnium creaturarum ad se trahere » poterat, quos volebat? »

Audierat Matthaeus Christum praedicantem et ejus miracula in Capharnao conspexerat. « Christus, ait S. Chrysostomus, vocat » Matthaeum, miraculorum jam fama perdomitum. »

S. Matthaeus ipse S. Birgittae ad ejus sepulchrum Malphi oranti, haec circa conversionem suam revelavit (Lib. I, rev. c. 129) : *Voluntas talis erat eo tempore quod neminem defraudare volui, sed desiderabam invenire viam,*

qua separarem me ab officio isto, et toto corde adhaererem Deo soli. Praedicante igitur amatore meo Jesu Christo, tunc inflammabatur sicut ignis verbum vocationis suae in corde meo; sic dulciter sapuerunt verba sua mihi, quod de divitiis et honoribus non plus cogitabam, quam de palcis : immo mihi magis flere placuit, et gaudere quod Deus meus tantillum me, et tantum peccatorem vocare voluit ad gratiam. Adhaerens quoque Domino meo, verba ejus ardentius coepi infigere cordi meo, quae nocte et die quasi cibum suavissimum gustando cogitabam.

Rectus ergo corde fuit et simplex S. Matthaeus. At non ita Pharisaei. Oppositionem inter Matthaeum ex una parte, et inter Pharisaeos ex altera, contemplare, et disce quantus sit in corde Jesu bonitatis et misericordiae thesaurus. Contemplare in domo Matthaei convivantes cum Christo publicanos et peccatores quos vult convertere Jesus. Audi et serpentinorum Pharisaeorum sibila (MATT. c. 9) : *et factum est discumbente eo in domo, ecce multi publicani et peccatores venientes discumbebant cum Jesu et discipulis ejus.* Et videntes Pharisaei dicebant discipulis ejus : *Quare cum publicanis et peccatoribus manducat Magister vester? At Jesus audiens, ait : Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. Euntes autem discite*

quid est : Misericordiam volo, et non sacrificium. Non enim veni vocare justos, sed peccatores.

Tertium punctum : Vocatio reliquorum Apostolorum. — *Vocavit,* ait S. P., *ceteros Apostolos, de quorum particulari vocatione Evangelium non facit mentionem.*

Quoadusque duodecim suos Apostolos qua tales elegit et constituit, Christus, etsi intra se decreverat quinam futuri essent Apostoli, neminem, excepto Simone, (quem ab initio principem designavit : *Vocaberis Cephas)* nisi ut discipulum, vocaverat; certo autem die collegium ex discipulis desumptum constituit apostolicum.

Sed antequam ad tantum opus procederet, docere nos iterum voluit opera Dei nunquam nisi praemissa oratione esse suscipienda. Igitur (Luc. v, 12) : *Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei*, partem scilicet diei et integram noctem orando consumpsit. Ex hoc videre est quantum errent concionatores et missionarii, qui, ubi mente conciones suas firmiter tenent, vix orant ut Deus ad cor audientium loquatur, et securi tempus inutiliter terunt, aut vanis colloquiis vel nugis occupantur, vel, quod pejus adhuc, conviviorum deliciis se tradunt.

Et cum dies factus esset, vocavit discipulos suos

(vocavit videlicet in montem, in quo oraverat; nam Marcus ait : *et ascendens in montem, vocavit ad se quos voluit. — (Non vos me elegistis, sed ego elegi vos); et elegit duodecim ex ipsis (quos et Apostolos nominavit) Simonem, quem* (de facto tunc) *cognominavit Petrum, et Andream fratrem ejus, Jacobum et Joannem, Philippum et Bartholomaeum, Mathaeum et Thomam, Jacobum Alphei et Simonem, qui vocatur Zelotes, et Judam Jacobi, et Judam Iscariotem, qui fuit proditor.*

Missis ceteris discipulis, cum solis duodecim constitit in monte. Contemplare sublime illud spectaculum; illorum videlicet congregationem quorum exibit sonus in omnem terram, et in fines orbis terrae verba eorum; illorum, qui et totidem erunt portae regni caelorum. Contemplare et quid intus sentiant electi illi Apostoli, et quomodo Christus eos respiciat, amet, atque ut familiares habeat.

Sublimissima omnium est vocatio apostolica, sed gratis data, non per se gratum faciens aut meritum conferens. Multi discipuli, quos ad Apostolatum Christus non evexit, magni Sancti facti sunt, Judas autem, unus e duodecim, damnatus est. Quo altior locus est e quo exciditur, eo etiam est ruina terribilior. Unde autem ruinae illius periculum? ex minimorum contemptu et unius etiam concu-

piscentiae adulatione. *Qui spernit modica, paulatim decidet. — Qui amat animam suam, perdet eam.*

In eodem monte, Christus Apostolis dat multiplicem potestatem, scilicet, praedicandi, ejiciendi daemonia et curandi infirmitates. Sed et, antequam descendat de monte, longa eos allocutione quasi primo ad mores apostolicos efformat. Limitat eorum jurisdictionem ad populum Israel; indicat praedicationum materiam : *Euntes autem praedicate, dicentes : Quia appropinquavit regnum caelorum.* Commendat paupertatem, frugalitatem et praedicit persecutiones.

In fine colloquia, ut in meditatione de duobus Vexillis.

TERTIUM EXERCITIUM

Nuptiae in Cana Galilaeae

JO. 2.

Praenotanda. — Multas alias comtemplationum materias potuisset huic hebdomadae inserere S. P. N., immo et totam vitam Christi mortalem; sed in infinitum secundam hanc hebdomadam produxisset. Exercitiorum autem universorum tempus ad triginta circiter

dies restrinxit. Ex mysteriis ergo ea selegit quae ad finem quem intendebat magis convenire videbantur. Cum autem finis ille sit, ubi integra traduntur Exercitia, ut qui idonei sunt, ad vitam apostolicam praeparentur ac disponantur, vitam publicam a vocatione Apostolorum orditur. Ast non omnes ad id vitae genus, etsi pii et ad magna etiam pro gloria Dei perpetranda idonei, vocantur; hinc vocationi apostolicae statim subjicit vitam in matrimonio degendam : sic quasi ante conspectum profanam vocationem cum perfecta ponit, sed ita, ut illa dignitate et sanctitate toto caelo distet a vita religiosa et apostolica. Matrimonium certe plerisque hominibus destinatur, et illud quidem maxime postquam a Christo Domino *magnum Sacramentum* factum est *in Christo et Ecclesia*. Sanctus ergo status ille dici debet, et propterea Jesus nuptiis interesse voluit, ut sponsis benediceret; sed si nuptiarum illarum circumstantiae et consequentiae considerentur, patebit S. Ignatium non sine alto, relate ad suum finem, consilio, vocationem apostolicam et nuptialem in Cana Galilaeae juxta posuisse.

Etenim, ut ait Corn. a Lap., Baronius, « secutus Nicephorum, lib. 8 Hist., censet » sponsum in hisce nuptiis fuisse S. Simonem

» Apostolum, qui a Cana cognominatus est » Cananaeus, » (filius Cleophae, qui erat frater Josephi, Sponsi B. M. V., ex quo intelligitur cur Jesus et Domina nostra ad illas nuptias, propter consanguinitatem fuerint invitati.) « Additque Baronius ex Nicephoro » locum hunc nuptiarum in Cana Galilaeae, » a S. Helena insigni ecclesia ibidem erecta, » fuisse decoratum et nobilitatum. Simon, » viso hoc Christi in suis nuptiis miraculo, » sponsae et mundo valedicens, secutus est » Christum, a quo in 12 Apostolorum nu- » merum est cooptatus; atque hac de causa » Christus ejus nuptias adiit; atque eas ad- » eundo, nuptias quidem honoravit, sed eum » ab illis evocando, caelibatum et apostola- » tum iis praestare declaravit. » Hinc patet cur S. P. nuptiarum Mysterium hic posuerit. Praeterea, si haec cum iis quae de Nathanaele diximus conferantur, concludemus de octo Apostolorum vocatione specialem in Evangelio fieri mentionem.

Quinque igitur ob causas Christus Dominus nuptiis illis interfuit : 1. Ut consanguineis honorem deferret, et eorum nuptias sua praesentia honestaret. 2. Ut daret exemplum humilitatis, adiens pauperum nuptias. 3. Ut in iis sponsorum paupertati et famae, conver-

tendo aquam in vinum, consuleret. 4. Ut per hoc miraculum se discipulis patefaceret, eisque Messiam esse se ostenderet. 5. Ut nuptias approbaret, ac sua praesentia sanctificaret. « Si nuptiis debita castitate celebratis » culpa inesset, non ad eas Dominus venis» set : bona castitas conjugalis, melior con» tinentia vidualis, optima perfectio virgina» lis. » Ita S. Aug. Serm. 40 de Temp.

His praemissis, sit

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Erit hic quomodo Christus cum B. Matre sua et primis suis discipulis fuit invitatus ad nuptias; aquam, petente Matre, in vinum mutavit, et exinde discipuli crediderunt in eum.

Secundum praeambulum, compositio loci. Erit hic videre festivum quidem, sed pauperem nuptialis convivii locum.

Tertium praeambulum, idem ac pro Incarnatione.

Primum punctum. — Christus invitatus it ad nuptias. *Primo,* ait S. P., *fuit invitatus Christus Dominus noster cum suis discipulis ad nuptias.*

Contemplare caenaculum, paratam mensam, pauperes sed bonos ac simplices sponsos, propinquos eorum, Dominam Nostram, discipulos, Petrum probabiliter, Andream,

Philippum, Nathanaelem, servos et ipsum Jesum Deum Dominum nostrum. Nullae unquam fuere aut futurae sunt nuptiae magis nobilitatae, siquidem iis interfuerunt et ipsa Mater Dei et Dei Filius : *Et erat Mater Jesu ibi. Vocatus est autem et Jesus et discipuli ejus.* (Io. II). Ubi paupertas, ubi humilitas, ubi simplicitas et castitas, ibi Jesus cum Maria. *Cum simplicibus sermocinatio ejus.*

Quanta et quam nobili ac divina charitate Christus omnibus omnia factus pauperes sponsos spiritualiter laetificat et mentes eorum ad superna elevat! Sic in festis et conviviis quibus quandoque interesse debet, benignum ac caelestem exhibere se debet vir apostolicus, minister et expressa Christi Jesu forma.

Contemplare Jesu modestiam amabilemque et humilem dignitatem; aspice quomodo edit et bibit, quomodo est sibi parcus, et erga convivas obsequiosus, mente semper cum suavitate erecta in Deum : *sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite* (I. Cor. x, 31). Hinc discat vir apostolicus, quam necessaria ipsi sit, praesertim in conviviis apud sacerdotes saeculares et apud laïcos, non temperantia solum, sed et mortificatio, in usu vini maxime et lautitiarum, nisi velit et esse fabula garrientium, et

omnem amittere existimationem, et repelli a missionibus, et divino carere auxilio. Quam diversi sunt, et natura sua et efficacia, spiritus qui ex vino et liquoribus hauriuntur ab iis qui per orationem et mortificationem a Spiritus Sancto emanant! Hoc sentiunt sacerdotes, et quantum laudant viros apostolicos orationi, mortificationi, silentio et labori deditos, tantum non raro missionarios lautitiarum amantes, in suis spiritualibus exercitiis negligentes, ac laboris impatientes, dicteriis inter se mordent et lacerant. De missionario qui sub praetextu concipiendarum ad concionandum virium vinum et liquorem ingurgitabat, bonus aliquis parochus, Superiori de illo dixit : Quod sit castus, credo equidem, sed quomodo id fieri possit non capio. Quae verba cum effato illo S. Hieronymi concinunt : « Venter mero aestuans despumat in » libidinem. »

Secundum punctum. — *Secundo,* ait S. P., *Mater indicat Filio defectum vini dicens : (Vinum non habent). Et mandavit ministris :* (Quodcumque dixerit vobis, facite.)

Et deficiente vino, dicit Mater Jesu ad eum : Vinum non habent. In hoc puncto de sola B. Virgine, sibi carissima, agit hic S. P. ut ab ea nihil non exspectet vir apostolicus. Con-

templare ex una parte pauperes sponsos incipientes propter vini penuriam erubescere, ex altera vero dulcissimam Matrem oculos et cor in Filium convertentem : *Vinum non habent;* id est, consule ergo, o Fili, eorum verecundiae, ne coram invitatis confundantur; scio enim te id posse, cum sis Dei Filius, atque hoc tuam charitatem decere aeque ac providentiam, ut hic miraculum patrando, te esse Messiam discipulis tuis et convivis omnibus ostendas. Ita Cyr., Chrysost., etc.

Audi S. Bern. (Dom. p. oct. Ep.) « Com» passa est enim eorum verecundiae, sicut » misericors, sicut benignissima. Quid de » fonte pietatis procederet nisi pietas? Quid » inquam, mirum, si pietatem exhibent vis» cera pietatis? Nonne qui pomum in manu » sua tenuerit dimidia die, reliqua diei parte » pomi servabit odorem? Quantum igitur vis» cera illa virtus pietatis affecit, in quibus » novem mensibus requievit? Nam et ante » replevit mentem quam ventrem, et cum » processit ex utero, ab anima non recessit. »

Contemplare modestiam et inconcussam fiduciam Virginis. Non enim postulat imperando vel rogando dicens : Fili, procura eis vinum, sed eorum necessitatem indicat, aitque : *Vinum non habent*, non dubitans Jesum

pro sua providentia et caritate illis succursurum. Sic Martha : *Domine, ecce quem amas infirmatur*. Non enim amas, et deseris, ait S. Aug. Ubi autem increpata est a Filio, B. Virgo (utpote mitis et humilis corde,) nec illi respondit nec tamen desperavit, ministros admonens facere, quod diceret eis. Noverat utique, sicut nemo novit aut noscet unquam, Cor Jesu. Utinam et ego cum eadem modestia, humilitate et fiducia ad Cor illud suavissimum semper accederem!

Et dicit ei Jesus : Quid mihi, et tibi est, mulier? Nullam culpam optima Mater commisit, neque ullo modo haec reprehensio est, sed reverentialis Christi responsio et benevola explicatio : agitur enim hic de patrando a Filio Dei miraculo, scilicet de opere theandrico, quod exigere Mater Filii hominis, qua talis, non poterat : ideo etiam B. Virgo non imperat, immo nec directe deprecatur. Respondens autem Jesus non vocat eam *mulier*, ut eam coram se Filio Dei deprimat. *Mulier* e contra apud Hebraeos titulus erat honorificus et reverentiam exprimebat, non secus ac sonat apud nos vox Domina. Concedit Christus, quasi diceret : Domina, non decreveram quidem primum meum miraculum facere in ordine, ad res istas temporales, ideoque *nondum*

venit hora mea, sed jam horam illam praevertam, propter te et propter tuam reverentiam, dilecta Mater. Cum autem B. Maria, quae intima Cordis Jesu noverat, intentionem, quamvis non expressam verbis, intellexit, ministros allocuta est.

Dicit mater ejus ministris : Quodcumque dixerit vobis facite. Hic omnium patuit oculis vinum deficere. Christus enim volens sequentibus saeculis ostendere nos a se per Matrem suam omnia impetraturos, primum suum miraculum illius intercessioni concedit. Omnia, ait S. Bernardus, voluit Deus nos habere per Mariam.

Erant autem ibi lapideae hydriae sex positae secundum purificationem Judaeorum, capientes singulae metretas binas vel ternas. Metreta continebat quae hodie diceremus litra dena circiter vel duodena.

Dicit eis Jesus : Implete hydrias aqua, et impleverunt illas usque ad summum, ita ut nil vini posset superfundi, et sic pateret miraculum.

Tertium punctum. — *Tertio,* ait S. P., *convertit aquam in vinum (et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli ejus.)*

Et dicit eis Jesus : Haurite nunc, et ferte architriclino. Et tulerunt, scil. haurite cum vasis portabilibus; et ei qui ministerio mensae et

honestati in nuptiis sacerdos praeest, deferte ut gustet. Haec autem dicens subito omnipotenti sua vi, totam aquam sex hydriarum in vinum convertit. Magnum sane istud miraculum, sed quanto mirabilius illud, quo in caena Christus (et post eum omnes N. T. sacerdotes) vinum convertet in proprium Sanguinem, in divinis scilicet illis nuptiis, in quibus homo fiet concorporeus et consanguineus cum Christo!

Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam, et non sciebat unde esset, ministri autem sciebant qui hauserant aquam, vocat sponsum architriclinus, et dicit ei : Omnis homo primum bonum vinum ponit, et cum inebriati (sic saepe in S. Scripturis vocatur liberalior tantum et exhilarans potus, rationis usu non privans : ideo enim praeerat sacerdos ut sic temperaret potum, et honestatem omnimodam procuraret : nec enim B. V. et Christus cum ebriosis accumbere certo voluissent) *fuerint, tunc id quod deterius est : tu autem servasti bonum vinum usque adhuc.*

Iverunt inde ad hydrias et eas vino optimo plenas invenerunt. Contemplare sanctum convivarum stuporem, gratiarum actiones et gaudium; contemplare quanta cum reverentia Christum, revelatum miraculo ut Deum in-

tuentur et amant! Quomodo ego eum in S. Communione intueor et amo?

Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilaeae, et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli ejus. Ideo enim manifestavit gloriam suam, scil. divinitatem suam, ut in praesentibus discipulis suis fidem obfirmaret.

Quoties in me deficit, etiam in nuptiis eucharisticis vinum devotionis et charitatis! « Hic, ait S. Bernardus, nonnunquam vinum » deficit; gratia scilicet devotionis et fervor » charitatis. Quoties mihi necesse est, fratres, » post lacrymosas querelas, exorare Matrem » misericordiae, ut suggerat suo benignissimo » Filio, quoniam vinum non habeatis? Et ip- » sa, dico vobis, carissimi, si pie a nobis pul- » sata fuerit, non deerit necessitati nostrae, » quoniam misericors est et Mater misericor- » diae. »

In fine colloquium fiat 1° cum Domina nostra, et dicatur *Ave Maria,* 2° cum Christo Domino nostro, et dicatur *Pater noster.*

Octava dies

PRIMUM EXERCITIUM

Quomodo Christus Dominus noster ejicit e templo eos qui vendebant

SCRIBIT S. JO., CAP. 2.

Praedicationem suam Christus recte ac pie a domo Dei et a virtute religionis incipere voluit; fundamentum enim virtutum pietas est, et cetera praecedant oportet agnitio Dei, reverentia ei debita, cultus ejus, atque adoratio et amor. Inde veneratio domus ejus. Cum autem Jesus nondum eousque praedicasset aut miracula publice fecisset, satis intellegitur quanta cum vi, quantoque cum spectantium sensu, et suam Divinitatem et divinam suam potentiam auctoritatemque per miraculum ejectionis venditorum quasi ex abrupto affirmaverit.

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Erit hic, quomodo Christus venditores ex atrio templi flagello ejecerit, mensas eorum everterit, et verbis eos corripuerit.

Secundum praeambulum erit videre atrium

templi, et in illo mensas et merces venditorum.

Tertium praeambulum, sicut in mysterio Incarnationis.

Primum punctum. — *Primo,* ait S. P., *ejecit omnes eos qui vendebant e templo, flagello facto ex funibus.*

Et prope erat Pascha Judaeorum, ait Joannes, et ascendit Jesus Jerosolymam : et invenit in templo vendentes boves, et oves, et columbas, et numularios sedentes. Et cum fecisset quasi flagellum de funibus, omnes ejecit de templo.

Contemplare Jesum in atrium templi cum summa erga Patrem suum reverentia intrantem, et videntem negotiatores cum mensis suis, cum bovibus et ovibus et columbis, domus Dei ignobili illo tumultu dignitatem ac sanctitatem inhonorantes. In Pharisaeos ac sacerdotes negotiatores oculos praesertim converte, lucris usurariis inhiantes, quos merito Christus, apud Matth., latrones vocavit : *scriptum est enim : domus mea domus orationis vocabitur : vos autem fecistis illam speluncam latronum.* A primo sui Apostolatus initio perfidam illam Pharisaeorum sectam Christus aggreditur, quae sub ementita perfectionis specie, vitiis indulgebat ac populum falsis doctrinis decipiens, eum usuris ac fraudibus spoliabat.

Sic eximium nobis praebet fortitudinis exemplum; nam quos crudelissimae mortis suae futuros praesciebat auctores, eosdem ad Dei gloriam, et populi salutem vindicandam e primo conspectu intrepide aggressus est et ad mortem usque exagitavit.

Ut autem hic eorum superbiam frangat, accipit funes, quos in modum flagelli conserens, insurgit in eos qui oves et boves vendebant, scilicet in pharisaeos sacerdotes, et omnes de templo flagellatos ejicit. Quum autem multi ibi essent, ne unus tamen resistere ei ausus est; divina haec Christi virtus fuit, ac miraculum, quod *solus omnes* illico expulerit. Multo terribilior fuit, cum perditos angelos e caelo detrusit; multo adhuc erit terribilior cum in extremo judicio unico fulminis ictu et angelos malos et damnatorum massam detrudet in infernum.

Atrium in quo haec facta sunt infima erat templi quarta pars populo judaïco, immo et gentibus aperta, ut ibidem et orarent et sacrificia spectarent quae fiebant in atrio sacerdotum. Si atrii illius, quia ad templum pertinebat, sanctitatem Christus vindicavit, quid pro atrio sacerdotum, quid pro Sancto, quid pro Sancto Sanctorum fecisset?

Hinc quantam templis Dei reverentiam ex-

hibere debeamus, Jesus nos docuit. Templa enim domus Dei sunt, nec illis fieri potest injuria, quae non in Deum ipsum recidat. Cum in medio rubi Dominus Moysi apparuisset (Ex. III, 2 SQ.), *dixit Moyses : Vadam et videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Cernens autem Dominus quod pergeret ad videndum, vocavit eum de medio rubi et ait : Moyses, Moyses, qui respondit : Adsum. At ille : Ne appropies, inquit, huc : solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim in quo stas, terra sancta est. Et ait : Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob. Abscondit Moyses faciem suam : non enim audebat aspicere contra Deum.*

De templo autem Salomonis, cujus omnem in minimis etiam partibus ichnographicam descriptionem ac varias easque pretiosissimas materias ipsemet Deus praescripserat, legitur in Lib. ij. Paralip. (7, 1 SQ.). *Cum complesset Salomon fundens preces, ignis descendit de caelo, et devoravit holocausta et victimas : et majestas Domini implevit domum. Nec poterant sacerdotes ingredi templum Domini, eo quod implesset Majestas Domini templum Domini. Sed et omnes Filii Israel videbant descendentem ignem et gloriam Domini super domum; et corruentes proni in terram super pavimentum stratum lapide, adorave-*

runt et laudaverunt Dominum : Quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia ejus.

Si templum Jerusalem, in quo gratia sua praesens Deus aderat, tantae fuit majestatis, quid de templis nostris dicendum, in quibus ipsa plenitudo Divinitatis in Christo corporaliter, adstantibus Angelis, inhabitat? Si, cum templum ingredior et ad rubum tabernaculi igne amoris ardentem accedo, subito, sicut Moyses, nominari me bis nomine meo audirem et ex altari mihi diceretur : Ne appropies, solve calceamenta tua, ego sum Jesus, Filius Dei, quid sentirem? Quae mea esset reverentia, quis stupor? Quis amor!

Si eos qui necessaria ad sacrificia vendebant tam severe ex atrio ejecit Jesus, qua poena digni sunt, qui nec genu flectere coram divina Majestate dignantur, qui libere in ecclesiis confabulantur et rident, qui peccant forte oculis, aut in lascivis cogitationibus delectantur? Dum quidem hic vivimus, Christus est in SS. Eucharistia Deus absconditus, sed certissime, non secus ac in caelo gloriosus ibi praesens est : *Justus autem meus ex fide vivit* (Hebr. 10, 38) : *Si scires donum Dei* (Io. 4, 10)! — *Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis* (Is. 1, 26).

Secundum punctum. — *Secundo,* ait, S. P.,

evertit mensas et pecunias numulariorum divitum, qui erant in Templo.

Maxime notandam distinctionem hic inducit S. P. divites inter et pauperes, quos diverso prorsus modo tractat Christus Dominus. Hoc enim semper intendens Ignatius ut humilitatem, quam ut genuinam paupertatis filiam divino instinctu esse agnoverat suaderet, duplici diverso et quasi opposito puncto, ejectionem divitum et ejectionem pauperum discernit. Divites, qui et usurarii ac latrones erant, dure ac sine ullo temperamento ex atrio protrudit; modicos autem ac pauperes columbarum et turturum venditores, qui modico et justo pretio pauperibus vendebant, reprehendit quidem Dominus, quia exemplo probabiliter divitum mercatorum inducti loco vendebant indebito, sed id suaviter, et cum amore instruendo. Hic jam videtur dicere : *Vae vobis divitibus,* et : *Beati pauperes spiritu.* Quis paupertatem non amet, quam tantopere Filius Dei coluit et amavit?

Notemus etiam quomodo duo ultima puncta hujus contemplationis duabus Meditationis de Vexillis partibus respondeant, ita ut in priori appareant divitiae, superbiam cum ceteris omnibus vitiis parientes, in posteriori vero paupertas cum humilitate et justitia.

In primo puncto posuit S. P. ejectionem eorum qui boves et oves vendebant, ut zelum quo ardebat Jesus pro domo Patris suae ostenderet : *Zelus domus tuae comedit me* (Ps. 68, 10), in secundo autem de solo œre et de mensis agitur. Ita enim ostendit Christus quanto in inordinatum erga divitias amorem odio ardeat; hinc divina ira accensus subvertit mensas et numos promiscue effudit : *Et numulariorum effudit aes et mensas subvertit.* Discant ii qui cupiditate abrepti pecuniis alienis ditescunt, quam terribile eos expectet in fine judicium.

Expulsione illa ostendit Christus esse se Deum, rerum omnium Dominum; inde expulsi illi divites, etsi multi erant et a Christo in suo honore atque in mercatura sua graviter laedebantur, ne recalcitrare quidem ausi sunt, sed divinam sentientes potentiam eaque subacti, interrogant tantum Jesum : *Quod signum ostendis nobis quia haec facis?* Soli enim divinae auctoritati talia competebant. Et gestu seipsum indicans, *respondit Jesus, et dixit eis : Solvite templum hoc et in tribus diebus aedificabo illud* (Io. 2, 19). Hoc responsum prophetia est, mortis suae pariter, et resurrectionis; scilicet, solvetis templum hoc corporis mei, et in tribus diebus resurgendo reaedificabo illud; sic

ab initio divinitatis suae argumentum posuit resurrectionem suam. Postea, ut legitur apud Matth. xij, 39, Pharisaeis et Scribis signum pariter petentibus similiter respondebit Jesus: *Generatio mala et adultera signum quaerit : et signum non dabitur ei, nisi signum Jonae Prophetae. Sicut enim fuit Jonas in ventre cete tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus.*

Contemplare fortitudinem quam in tuendo templi Patris sui honore Christus exhibet, cum sciat et annuntiet sacerdotes illos et Pharisaeos, quos nunc ejicit, templum corporis sui ex odio et invidia crudeliter soluturos; quasi diceret : scio vos eos esse qui me morte turpissima afficietis; non propterea omittam vos corripere, quia Deum Patrem similata mente inhonoratis, et populum falsis sermonibus decipitis, eumque ad aeternam ruinam pellitis. Sic et nos, servi et apostoli Christi, ne a facie divitum, potentium ac ipsorum tyrannorum formidemus, sed fortiter sicut discipuli Jesu et Martyres, pro veritate stemus et pro causa Dei. Vae illis Christi ministris, qui pondus et pondus habent, qui divitibus ac potentibus cum divinae gloriae detrimento, et cum illorum ipsorum ac sui ipsius salutis jactura, blandiuntur!

Non quidem a nobis flagello tales ejiciendi sunt, nec aes eorum effundendum aut evertendae mensae; haec enim jure suo, utpote Deus, atque irresistibiliter fecit Jesus; sed divinis principiis ac mandatis, etiam in conspectu mortis, firmiter nobis est consistendum. *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem* (Gal. 1, 10). *Soli Deo honor et gloria.*

Quam praeclare tandem quantum divitias ab hominibus tantopere quaesitas et expetitas contemnat et vilipendat Christus, palam exhibet : *Effudit aes et mensas subvertit.*

An stulte ego aestimabo id quod Christus, divina Veritas, adeo contempsit et odio habuit?

Tertium punctum. — *Tertio,* ait S. P., *pauperibus qui vendebant columbas, mansuete dixit : (Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis).*

Pauperibus : vox ista, quam solam cum voce *mansuete* Joannis narrationi intexuit, totum suum S. P. consilium aperit; malos quippe ac divites mercatores, iniquitati deditos ac impoenitentes Christus propter suam in Patrem et populum charitatem dure tractavit : pauperes autem columbarum venditores non ita; modicos enim et pauperes pauper Christus sua prosequitur praedilectione. Desiderium pau-

perum nempe exaudit ille qui propter nos egenus factus est, nascens in stabulo et nudus moriens in cruce.

Contemplare pauperes illos venditores cum parvis caveis suis, quarum singulae duos pullos turturum aut columbarum continent et pauperes emptores qui eos adeunt. Conterriti illi sunt implacabili divitum mercatorum ejectione; sed absque mora recreantur, cum Jesum vident accedentem ad se pacificum et amantem; reprehendit quidem, vel potius *mansuete* instruit, nec tantum cum charitate, quae erga omnes etiam in severis castigationibus interius habenda est, sed et cum *amore* eos adhortatur. Divitibus mercatoribus nil dixit Jesus; pauperes autem pacifice et amice ratiocinando alloquitur : *mansuete*. Quam bene apparet hic dulcedo et amabilitas Cordis Jesu! *Evangelizare pauperibus misit me* (Is. 61, 1), et quam amabilis debet esse pauper, ut Christus eum adeo dilexerit et similis ei esse voluerit!

Spiritus apostolici lapis lydius amor est pauperum. Qui, relictis pauperibus, inhiat divitum ministerio, de Spiritu Jesu nihil habet, ac de numero eorum est de quibus ait Apostolus : *Quaerunt quae sua sunt, non quae Jesu Christi* (Phil. 2, 21). Vis aditum ad divitum ipsorum corda reperire? Ama pauperes et mi-

seros. Hinc voluit S. P. N., ut sui filii ante omnia rudium ac puerorum instructioni vacarent, seseque ad id voto adstringerent. Dicet enim in fine temporum Jesus Judex, primo quidem electis : *Amen, amen, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis;* reprobis vero : *Quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis* (MATT. 25, 40, 45).

Omnes quidem, sive divites, sive pauperes, cum honore et charitate in genere tractandi sunt, quia omnes ad imaginem Dei facti sunt, et ad divinam adoptionem vocati; nulla enim anima est quam sanguine suo non redemerit Dei Filius; sed vae ei qui solis divitibus ac potentibus, neglecto paupere, reverentiam praestat! *Si introierit in conventum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida, introierit autem et pauper in sordido habitu, et intendatis in eum qui indutus est veste praeclara, et dixeritis ei : tu sede hic bene : pauperi autem dicatis : tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum, nonne judicatis apud vosmetipsos?* (scil. vetitam Christi discipulis personarum acceptionem facitis?) ... *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo...? Vos autem inhonoratis pauperem... Si autem personas accipitis, peccatum operamini* (JAC. 2, 2, SQ.).

Denique quam sterile saepius apud divites ministerium! Quam ampla autem et facilis

apud pauperes a pauperum amatoribus messis plerumque colligitur!

Prae divite ergo epulone pauperem Lazarum deligam; prae potentibus pauperem amabo operarium qui in sudore vultus pane vescitur; prae regibus terrae colam et diligam Christum Jesum qui in egeno esurit et sitit, nudus est et friget. Quid pauperum apostolo ac salvatori reddet Christus, qui factam corporibus eleemosynam tam magnifice remunerabit? *Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam : cum videris nudum, operi eum, et ne despexeris carnem tuam. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et sanitas tua citius orietur, et anteibit faciem tuam justitia tua, et gloria Domini colliget te* (Is. 58, 7).

In fine colloquium cum Christo Domino, et *Pater noster*.

SECUNDUM EXERCITIUM

De sermone quem fecit Christus in monte

MATTHAEUS V

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Hic erit quomodo Christus solus cum discipulis, docuit

eos octo beatitudines, eosque ad usum suorum talentorum et perfectam totius legis adimplectionem adhortatus est.

Secundum praeambulum, compositio loci. Erit hic vivide videre montem, in quo Christus sedet.

Tertium praeambulum idem quod in mysterio Incarnationis.

Primum punctum. — *Primo,* ait S. P., *ad dilectos suos discipulos separatim loquitur de octo Beatitudinibus. (Beati pauperes spiritu, mites, misericordes, qui lugent, qui esuriunt et sitiunt justitiam, mundo corde, pacifici, et qui persecutionem patiuntur.)*

Matth. ait : *Videns autem Jesus turbas, ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus, et aperiens os suum docebat eos dicens :*

Cum jam advesperasceret, reliquit turbas Christus, ut in propinqua civitate noctem transirent. Contemplabor Jesum jamjam suos *dilectos* Apostolos electurum ascendentem in illum Galilaeae montem, in quo pernoctare in oratione solebat, quique propterea *Mons Christi* dictus est. Decebat eum sublimem illam quam modo profitebitur doctrinam, in sublimi monte tradere. Neque eam turbae tunc commisit, quae tam alta capere nondum poterat. Ideo

illam *dilectis separatim* tradit primum discipulis; utque illius momentum declaret Evangelista, de eo qui ora Prophetarum aperuit, dicit : *Et aperiens os suum docebat eos.*

Docet autem Jesus, in quo vera illa ad quam Deus nos creavit, beatitudo consistat. Necesse autem erat ut eam doceret; nam hae octo beatitudines sunt quasi totidem mundi parodoxa. Ideo Christus, infallibilis Dei sapientia, venire in mundum debuit, ut mundi errores corrigeret, qui verum pro falso et falsum pro vero, cum aeternae salutis detrimento, immo cum vitae praesentis infortunio amplectebatur.

Cum octo beatitudines Simon Stylites ovium pastor, legi in templo audisset, relictis ovibus, adiit monasterium, pauloque post celebrem illam columnam ascendit, in qua per 47 annos permansit, de solis divinis meditans turbaeque ex omni loco convenienti semper ingeminans : « Contemnite terrestria, amate et ambite caelestia, quae sola vos beabunt. »

1° **Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum.** *Beati,* nondum in re, sed in spe, *beati* beatitudine viae, non patriae, quia tendunt ad aeternam beatitudinem; *beati* in inchoatione virtutis et pacis, non in consummatione coronae et gloriae.

Pauperes spiritu. Beati, juxta S. Hier., dicuntur pauperes non omnes, non ii scilicet qui invita aut miserabili necessitate pauperes sunt, aut ex vana gloria, aut ex solo superbius philosophandi studio, ut Diogenes, ut Crates et alii, sed *spiritu,* id est laudabili voluntate a *Spiritu* Sancto inspirata atque ad spiritualia bona tendente. Tunc enim tantum paupertas propter Deum et propter regnum caelorum suscipitur, uti fit et a religiosis, qui paupertatem profitentur et vovent, et a fidelibus qui patienter saltem pauperiem tolerant, sive in ista conditione nati sint, sive casu aliquo bona sua amiserint.

Pauperes spiritu omnes ad tertiam binariorum classem pertinent, utpote qui ab omni ad divitias affectione soluti, unam Dei voluntatem et divinum servitium spectant, sive ut bona omnia abjiciant, sive ut ea retineant.

Hos esse in via verae beatitudinis patet ex meditatione de duobus vexillis; nam, cum paupertatem ament, amabunt et opprobria quae illi connexa sunt, ac sic devenient ad humilitatem, quae virtutum omnium et gaudii spiritualis mater est dulcissima. Hinc itur ad astra.

Radix igitur beatitudinis et perfectionis evangelicae est voluntaria paupertas et humi-

litas, sicut radix omnis peccati superbia est, et cupiditas.

Cum S. Francisus Ass. saepe a fratribus rogaretur quaenam virtus praecipue et maxime nos commendaret gratosque Christo Domino faceret; inusitato quodam affectu respondere solebat : « Paupertas; eam enim esse » viam salutis, humilitatis fomentum, perfec- » tionis radicem, et ab ea multiplices fructus » existere, quamquam occultos et paucissimis » cognitos. » Quae sane non de essentia tantum theologica voti paupertatis intelligebat pauper ille assisiensis, sed de ipsa reali indigentia rerum, quae sola de se parit statum humiliationis, et per eum, humilitatem. Unde enim fit ut saepius religiosi perfectionem non consequantur, nisi ex eo quod, quamvis servent voti paupertatis essentiam, ipsam paupertatem in victu, vestitu, suppellectili, etc., fugiant.

2° **Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram**. Congrue pauperibus spiritu subjunguntur mites, quia pauperes et humiles solent esse et mites, sicut ex opposito divitiarum viri impatientes et rixosi esse solent ac superbi. Vicinae ergo et cognatae virtutes sunt paupertas et cum humilitate mansuetudo.

Mites sunt qui impatientiae, irae, invidiae,

vindictae, ceterisque turbidis animi motibus et perturbationibus dominantur, ut nec Deo adversa immittenti obmurmurent, nec proximis injurias inferentibus indignentur, nec a laedentibus vindictam expetant, sed omnia facile tolerent, paternae Dei, qui ista et alia omnia ad divinam suam gloriam et ipsorum salutem ordinat, plane se resignantes atque in ea conquiescentes; quare mites hac morum suavitate omnium fere animos sibi conciliant.

Porro quinque sunt mansuetudinis gradus. 1. Mansueto corde et ore cum omnibus conversari. 2. Iras alienas mansueto responso frangere. 3. Injurias et rapinas sibi factas mansuete tolerare. 4. In iis exultare. 5. Sua mansuetudine et beneficiis inimici et iracundi malevolentiam vincere, eumque sibi conciliare, et benevolum amicumque efficere.

Sic mansuetus fuit Christus Dominus noster, qui jure ac merito de se ipse dixit : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde*. De eo Isaias praedixerat : *Non erit tristis, neque turbulentus, non clamabit, neque audietur vox ejus foris : calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non extinguet* (Is. 43). Judae osculanti se respondit : *Amice, ad quid venisti?* — De eo S. Petrus ait : *Cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur : tradebat autem*

judicanti se injuste. — Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor donec perficiatur, (Luc. 12, 50). — *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt* (Luc. 23, 34).

Quoniam ipsi possidebunt terram. Quaenam illa terra est? Regnum caelorum, quod saepius in S. Scripturis terra viventium vocatur. Possidebunt quidem in pace et cor suum; immo et hominum corda plerumque, ut docet experientia, possidebunt; ast istud non semper; multi enim mites inimicos habuere, quos nihil flectere potuit, et in primis *Christus Jesus,* qui nec Judaeos, nec Judam, nec tortores sua mansuetudine devicit. Qui enim, non dicam mansuetudinem, sed mansuetudinis virtutem mites exercerent, si inimicos non haberent?

Ad acquirendam mansuetudinem, cum tibi fit injuria, 1. Comprime verba tua et tace. 2. Dic intus, quamvis id ore tantum elicere videaris : Deus, benedico te, et tu illi benedic qui mihi maledicit.

3° **Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.** Non quicumque lugent vocat Christus beatos, sed eos tantum qui, juxta principia Fundamenti Exercitiorum, spiritualiter lugent; non secundum carnem et mundum : Hujus sancti luctus materia sunt. 1. Dolor in

ferendis et cum resignatione accipiendis quibuscumque calamitatibus et aerumnis. 2. Propria et aliena peccata. 3. Dolorosa adversus carnem et concupiscentiam lucta. 4. Desolationes spirituales. 5. Persecutiones. 6. Praesens exilium et caeli desiderium. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (Rom. 7). *Desiderium habens* dissolvi et esse cum Christo (Phil. 1, 23).

Quoniam ipsi consolabuntur, maxime in altera vita. *Non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis.* (Rom. 8, 18). *Laetitia sempiterna super caput eorum : gaudium et exsultationem obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus* (Is. 35, 10). Sed et in hac vita consolatione fruuntur qui *spiritualiter* lugent. Qui enim ita luget, cum amore Dei et pro ejus servitio luget: amor autem amara facit dulcia : *Ubi amatur, non laboratur;* ipsa compunctio mentem compuncti mire solatur, pascit et reficit, ita ut ex mundanis voluptatibus nulla sit dulcior quam ex amore Dei fletus de peccatis.

4° **Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.**

Juxta P. Lud. de Ponte, justitia *habitualis* ea est qua sanctificamur, et *actualis* quae omnium virtutum constat operibus. Justitiae gradus

sunt : 1. Magno affectu cupere omne *debitum* implere virtutis. 2. Toto corde ad id, quod in omni justitia et sanctitate perfectum est aspirare. Haec liberalitas est, de qua in 5ª Annotatione. 3. Esurire et sitire Christum ipsum, qui nostra justitia est; et optare ut, tum corporaliter in SS. Sacramento, tum spiritualiter per fidem vivam, per ardentem charitatem et intimum divinarum consolationum gustum ei uniamur. 4. Anhelare perfectam patriae justitiam, ubi per visionem beatificam anima in similitudinem Dei perfecte transformatur.

Non dicit Christus : qui volunt aut cupiunt justitiam, sed : *Qui esuriunt et sitiunt justitiam,* quod desiderium ardentissimum, inexplebile, et quasi unicum designat. Hanc dispositionem in exercitante S. P. exoptat, et omni ope et opera, praesertim per amorem Christi procurare conatur.

Soli huic siti ac esuriei magna in via sanctitatis promittuntur. Iis qui simpliciter desiderant et petunt, gratiae quidem dantur, quae eos sustentent, non autem unde impleantur. Solos *esurientes implevit bonis*. Qui vero sibi se sufficere existimant, accipiunt nihil : et *divites dimisit inanes* (Cant. Magn.).

5. **Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur**. Misericors ille est,

qui cordi habet, scilicet qui amat et sublevat miseros. Misericordia alia corporalis est, alia spiritualis; multo haec altera sublimior est et Spiritu utraque exerceatur oportet, scilicet propter Deum, ut supernaturalis sit et promissam a Christo misericordiam plene consequatur.

Mundus accipere mavult quam dare; paradoxum igitur mundo dogma Christi est, nempe : *Beatius est magis dare quam accipere* (Act. 20, 35).

Tanti momenti ad salutem misericordia est, ut non aliam causam Christus afferat (Matt. 30), cur in die judicii electos caelo sit adjudicaturus, et reprobos gehennae, quam quod illi in se, id est in pauperes fuerint misericordes, hi vero sine misericordia.

Quomodo autem ex sola misericordia electos caelo adjudicare poterit, cum tot aliae virtutes ad salutem requirantur, nisi ex eo quod hi misericordiam ante mortem consequentur et conversionem a peccatis suis? *Charitas cooperit multitudinem peccatorum* (1 Petr. 4, 8). Quoties iis etiam qui ex mera naturali compassione miseris subvenerunt cum admiratione hominum vera conversio evenit! Sic sua excedit promissa Christus.

Quoniam ipsi misericordiam consequentur. Mi-

sericordiam scilicet consequentur per remissionem peccatorum, et in altera maxime vita per aeternam caeli misericordiam.

Ergo *peccata eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum* (Dan. 7, 24). Hortatur nos ille qui *pertransiit benefaciendo : Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est* (Luc. 6, 36).

Audi S. Petrum Chrysologum de laudibus et praemiis misericordiae disserentem : « Thesaurus caeli est manus pauperis : quod suscipit, ne in terra pereat, reponet in caelum. Manus pauperis est gazophylacium Christi, quia quidquid pauper accipit, Christus acceptat. Da ergo, homo, terram, ut accipias caelum; da nummum, ut accipias regnum; da pauperi, ut des tibi : quidquid pauperi dederis, tu habebis; quod pauperi non dederis, habebit alter. Clamat Deus : misericordiam volo. Qui quod vult Deus, Deo negat, a Deo sibi, quod desiderat, vult negari. Homo, petit Deus, sed tibi, non sibi : humanam misericordiam petit, ut largiatur divinam. Est in caelis misericordia, ad quam per terrenas misericordias pervenitur. Dicturus causam in judicio Dei, patronam tibi misericordiam, per quam liberari possis, assume. Qui de patrocinio misericordiae certus est, de ve-

» nia sit securus, de absolutione non dubitet. » (Serm. 8 de jee. et eleem.)

S. Jo. Chrysost. hom. 32 in ep. ad Hebr. ita eleemosynam describit : « Eleemosyna est amica Dei, semper ei propinqua, pro quibuscumque voluerit, facile gratiae munus impetrat... Virgo est habens alas aureas, circumspecta per omnia, venusteque succincta, vultum habens candidum et mansuetum; pennata est, levis, et semper ante solium regale consistit. Quando judicamur, repente subvenit, et nos a suppliciis liberat imminentibus, alis suis nos contegens. Hanc amplius desiderat Deus, quam sacrificia innumera. »

6° **Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.** Non qui corporis aut vestium munditie nitent dicuntur a Christo beati : immo saepissime immundi intus sunt et miseri tales appellandi sunt et sepulchra dealbata. *Vae vobis,* aiebat Jesus, *Scribae et Pharisaei hypocritae, quia mundatis quod deforis est calicis et paropsidis : intus autem pleni estis rapina et immunditia.* (Matt. 23, 25).

Beati igitur illi soli sunt qui, etsi atro laborum pulvere foedati, *corde* mundi sunt.

Plures munditia cordis gradus habet : 1. Immunitas a peccato mortali, sine qua nulla in anima munditia esse potest : quo autem plu-

ra sunt mortalia peccata, eo etiam foedior et squalidior est animae immunditia. *Qui in sordibus est, sordescat adhuc* (Ap. 23, 11). Quomodo anima illa posset esse beata, quae labe mortali foetens et remorsibus cruciata, terribili cuidam exspectationi judicii et ignis aemulationi subjacet? (Hebr. 10, 27). 2. Immunitas a peccatis venialibus, quae etsi non opacis maculis, pulvere tamen animam inficiunt, eam ad mortalia inclinant, atque a divinis arcent consolationibus et amplexibus. 3. Immunitas ab omni duplicitate. 4. Perfecta puritas intentionis, juxta reg. 17. Summ. Mundi ergo corde sunt, juxta S. Aug. et alios P. P., id est, vere pura sunt conscientia, qui eam mundarunt ab omni peccato, a pravis cogitationibus et desideriis, a passionibus et perturbationibus, ab omni mala intentione et praesertim ab omni duplicitate et hypocrisi; qui simplici, recta et pura sunt mente, qui omne bonum faciunt semper et cogitant. Sicut enim, si fons sit purus et illimis, aquae ex eo profluentes pariter sunt purae et illimes : sic et, si cor sit purum, omnis actio ex eo promanans erit pura et munda. Quod Dominus de aquis Ægypti dicit, id et de fluxu vitae illius dici potest qui animalem in se hominem non subjugaverit : *Et perdam omnia jumenta, quae erant super aquas plurimas : et non*

conturbabit eas pes hominis ultra, neque ungula jumentorum turbabit eas. Tunc purissimas reddam aquas eorum et flumina eorum quasi oleum adducam, ait Dominus (EZECH. 3, 13, SQ.)

Beati... quoniam ipsi Deum videbunt : 1. In caelo Deum videbunt facie ad faciem. Cum sit Deus incorporeus et Spiritus purissimus, ait S. Aug., patet eum, non oculis corporeis, sed corde tantum, scil. mente a Beatis posse videri. Jam vero sicut speculum tersum et purum solem in se recipit, eum autem excludit, si immundum fuerit et impolitum, sic et impurum cor a se excludet Deum. « Merito. ait S. Leo » in fest. O. S., haec beatitudo cordis promit- » titur; splendorem enim veri luminis sordens » acies videre non poterit; et quod erit jucun- » ditas mentibus nitidis, hoc erit poena macu- » losis. Declinentur igitur terrenarum caligi- » nes vanitatum, et ab omni squalore iniqui- » tatis oculi tergantur interiores, ut serenus » intuitus tantum Dei visione pascatur. »

2. In hac vita Deum pura et affectuosa cognitione videbunt. Quo quis profundius in baratrum peccatorum descendit, eo etiam magis Dei cognitio in eo extinguitur, ita ut quandoque ad atheismum usque perveniat. Quo pariter purior conscientia efficitur, eo etiam clarius atque suavius Deum, ejusque attributa, et ma-

xime bonitatem cognoscit ac sentit. Hinc tanta illa S. Ignatii sollicitudo quam in prima adhibet hebdomada, ut expurgata anima videre et intime cognoscere Jesum in secunda hebdomada valeat.

7° **Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.** Pacem illam, quam mundus dare non potest, mundo ille attulit, cujus nomen est Rex pacificus, de quo dicitur : *pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quae in terris, sive quae in caelis sunt* (Col. 1, 20). Hoc praenuntiarant Angeli : *Et in terra pax hominibus bonae voluntatis.* Hanc pacem Christus redivivus dedit Apostolis : *Pax vobis,* eosque jussit eam pacem afferre omnibus : *In quamcumque domum intraveritis, primum dicite : pax huic domui* (Luc. 9, 4).

Pacifici hic praesertim dicuntur pacificantes, ii videlicet qui paci inter homines servandae incumbentes, dissidia compescunt, et dissidentes conciliant, atque ad pacem unionemque inter se et cum Deo revocant, aut revocare laborant et satagunt : opus quidem sane arduum est et difficile, sed Deo gratissimum. Pacificus in se est ille qui mitis est, et in omni sua agendi ratione, omnibus se praebet amabilem, nedum sit alicui causa offensionis. Talis fuit S. Franc. Sal., talis et pater noster Gaspar Barzeus in Indiis : cau-

sidici enim dicebant sibi esse fame moriendum, ex eo quod per eum lites omnes sopirentur, ex quarum cura ipsi vivebant.

Ut autem quis pacifice cum omnibus agat et dissidentes ad pacem componat, magna in eo requiritur aequanimitas; illa autem aequanimitas perfectam supponit abnegationem et plenam de omnibus animi passionibus ac perturbationibus victoriam.

Quoniam filii Dei vocabuntur, scil. 1. aeternam accipient hereditatem : *Itaque jam non est servus, sed filius : quod si filius, et heres per Deum* (Gal. 4, 7). 2. *Filii Dei,* id est, simillimi Deo erunt illique charissimi; Deus enim pacem maxime amat, ejusque causa misit Filium suum in mundum; quia ipse per essentiam suam est pax et unio : unde ipse divinas tres Personas in una eademque individua essentia ac deitate essentialiter unit, intimeque conjungit. Hinc votum Christi post SS. Eucharistiae institutionem fuit, ut similis inter suos discipulos pax et unio existeret : *Non pro eis rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me : ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi unum sint... ut sint unum, sicut et nos unum sumus* (Joa. 18, 20, 39). Hinc de primis Christianis dicitur quod essent *cor unum et anima una.*

8° Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum.

Haec habet Corn. a Lap. : Haec octava et summa beatitudo est, in passione et patientia consistens, cum priores in actione sitae sint. Unde S. Ambr., ad v. 22 cap. Luc. : *Usque ad finem te ducit, usque* ad martyrium prosequitur; ibi constituit beatitudinum palmam. Difficilius est enim dura pati quam ardua agere, juxta illud : Fortia agere, romanum est; fortia pati, christianum est. Quare major fortitudinis actus est pati fortia, quam agere, ut docet S. Thom. Persecutio autem pertinax est insectatio alicujus ad alium proterendum, qua nullus datur quieti aut securitati locus, sed quovis genere, scil. tam per calumnias quam per afflictiones, tam per injurias verborum quam verberum, innocentia vexatur et opprimitur.

Propter justitiam, quia justi sunt, quia Christiani, quia justitiam sequuntur, quia servant Dei legem et sui Ordinis statuta, quia saluti animarum incumbunt, quia jura pupillorum, fidelium, Ecclesiae defendunt, quia student reformationi cleri vel monasteriorum, quia fidei christianae renuntiare nolunt, etc.

Justitia enim hic pro qualibet virtute accipitur, ut ait S. Chrysostomus.

Tales persecutiones veram beatitudinem constituunt. 1. Quia nos separant a mundo et uniunt Deo. 2. quia propter Deum sufferuntur : 3. Quia similes nos efficiunt Christo, qui usque ad mortem crucis a Judaeis persecutionem sustinuit. *Me persecuti sunt, et vos persequentur. Exeamus ergo extra castra, improperium ejus portantes* (Heb. 12).

Crevit semper in persecutione S. Ecclesia, in pace e contra decrevit. Hinc Christus beatitudinibus subjunxit : *Beati estis, cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me : gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis* (Matt. 5, 11).

Huic innixus principio et experientiae, S. Ignatius a Deo solebat petere ut ne unquam sine persecutione sua esset Societas. Sanctus autem Franciscus Borgia tria esse dictitabat, quae conservant Societatem Jesu : Primum, inquit, est studium orationis : secundum, unio mutua sociorum; tertium, persecutio; causamque dabat, quia nimirum oratio nos adstringit Deo, unio socios invicem vincit; persecutio nos a mundo disjungit, cogitque prudenter agere, ne persecutoribus ansa prae-

beatur. Funiculus ille triplex difficile rumpitur.

Quoniam ipsorum est regnum caelorum. Prima et octava beatitudo eadem promissione concluduntur, vel potius eadem promissionis forma; nam eadem promissio, etiamsi alio modo exprimitur, in omnibus continetur beatudinibus. Qui enim Christus beatum illum duceret qui non esset caelo potiturus?

Hinc S. Aug. L. I de serm. Chr. in monte, ait omnibus hisce beatudinibus regnum caelorum promitti, sed alio et alio nomine, proprietate, et titulo, cuique operi congruo, scilicet pauperibus et patientibus nomine et titulo regni; mitibus nomine terrae : lugentibus nomine consolationis; esurientibus nomine satietatis; misericordibus nomine misericordiae, mundis corde nomine visionis Dei; pacificis nomine adoptionis in filios Dei. Pulchre idem in Ps. 93 loquentem Deum cum anima inducit : *Venale habeo. — Quid, Domine? — Regnum caelorum. — Quo emitur? — Paupertate regnum, dolore gaudium, labore requies, vilitate gloria, morte vita.*

Secundum punctum. — *Secundo,* ait S. P., *hortatur illos, ut utantur bene suis talentis. (Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut* VIDEANT OPERA *vestra bona, et glorificent Patrem vestrum,*

qui in caelis est.) Talenta hic intelligit S. P., non dotes naturales, quamvis et ipsis ad Dei gloriam utendum sit, sed dona supernaturalia quae discipulis in ordine ad Apostolatum abunde conferentur. Hoc sensu ait Jesus : *Uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero commisit unum* (MATT. 25, 15). Quo enim excellentiora fuere in Apostolis supernaturalia charismata, eo pauciora fuere sive naturalia sive acquisita talenta. Infirma enim, ad gloriam suam, elegit Deus, ut confundat fortia; et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret. Non sequitur inde debere nos, qui extraordinariis Apostolorum donis non instruimur, culturam facultatum nostrarum et scientiarum negligere, sed hoc sit nobis alta in mente defixum, quod in reg. 16. Summ. ait S. P. N., nimirum in virtutum solidarum ac perfectarum, et spiritualium rerum studio majus esse momentum quam in doctrina vel aliis donis naturalibus et humanis : illa enim interiora esse, ex quibus efficaciam ad exteriora permanare *ad finem nobis propositum oportet. Sic luceat lux vestra,* etc.

Christus, Verbum Patris, Deus de Deo, Lumen de Lumine, descendit de caelis ut lux esset mundi : *In ipso vita erat,* ait Joan. 1, *et vita erat lux hominum : et lux in tenebris lu-*

cet... Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Unde de se ipse dixit : *Ego sum lux mundi* (Jo. 8, 11).

Ast non erat mansurus semper in mundo; mundus autem continuis tenebris obnoxius permanente lumine indigebat. Quid igitur fecit Jesus? Sicut ipse Lumen de Lumine, lumen a Patre acceperat, ita et suum lumen communicavit Apostolis, ut pro ipso lucerent mundo. Ideo in ultima caena dixit ad Patrem : *Ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis :* Qui de se dixerat : *Ego sum lux mundi, et* suis ait Apostolis : *Vos estis lux mundi* (Matt. 5, 14). *Non potest civitas abscondi supra montem posita. Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum ut luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus : ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est.* (Matt. 5, 15.)

Ex his patet. 1. Apostolorum supra montem sedentium regnum in animas totius orbis extendi; 2. Sicut sine lucerna in obscuro loco tenebrae sunt et nil videri potest praeter falsa phantasmata, ita extra doctrinam seu lucem apostolicam, non possunt in ordine divino nisi errores et tenebrae existere. 3. Eminentiam dignitatis apostolicae tantum dignitates

quascumque hujus mundi excedere, quantum ea omnia quae humana sunt divina excedunt. Et hoc quidem ex stupenda apostolorum cum Filio Dei similitudine, conjunctione et quasi unitate profluit : Una quippe lux est quae a Patre procedit in Filium, et per Filium in conjunctos sibi Apostolos : *Ego sum... vox estis lux mundi :* conjunctio cum Patre fit per conjunctionem cum Filio, ita ut Apostoli et a Patre et a Filio missionem accipiant, et utriusque legatione fungantur : *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.* Ideo Christus vocat Apostolos suos fratres : *Nuntiate fratribus meis,* et quasi communem sibi et iis esse Patrem : *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, ad Deum meum et Deum vestrum.*

Sic luceat lux vestra. Duplici modo lux mundi debet esse Apostolus, doctrina et vita.

Doctrina. Omnia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis (Jo. 15). *Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae* (Marc. 16, 15). *Data est mihi omnis potestas in caelo, et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis : et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (Matt. 28, 18, sq.)

Vita; et hoc quidem maxime et directe Christus intendit, ut patet ex vocibus : *ut videant opera vestra bona.* Vult nimirum ut, sicut ipsemet coepit facere et docere, ita et ipsi faciant, ita ut Apostolus solo vitae suae spectaculo quasi vocalis incedat, et doctrina sua prius per vitae exemplum percellat oculos quam verba ejus in auribus resonent. *Verba movent, exempla trahunt;* immo si exempla defuerint, nec verba movebunt, dicentque qui audient : *Medice, cura teipsum.* Nil ergo ad fidem Christi inculcandam magis juvat, quam fulgor sanctitatis. Mirabilem quidem doctrinam praedicabant Apostoli, et magna vi reddebant testimonium Resurrectionis Jesu Christi; sed doctrinam Jesu tam acriter sensui adversantem nequaquam tot gentibus persuasissent, nec innumeras animas Christo adjunxissent, nisi in ore aeque ac in verbis eorum charitatis Christi divinus effulsisset ignis, eorumque sanctitas ac sanctitatis eorum flores, miracula et martyria, omnium admirationem concitassent.

Luceat lux vestra coram hominibus, quia id ad persuasionem necessarium est; non ut inde vos gloriam adipiscamini; neque enim ego gloriam meam quaesivi; sed *ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in*

caelis est, sicut et ego feci omnia ad gloriam Patris. Quantam autem Patri et Christo dederint gloriam Apostoli, patet ex eorum sanctitate, laboribus, carceribus, martyrio, anhelantes sibi pro Christo opprobria, defatigationes et supplicia : *In multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis... per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam : ut seductores, et veraces... quasi morientes, et ecce vivimus; ut castigati et non mortificati : quasi tristes, et semper gaudentes; sicut egentes, et multos locupletantes* (2. Cor. vi). *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter... Ter virgis caesus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte et die in profundo maris fui... In labore, et aerumnis, in vigiliis multis, in fame, et siti, in jejuniis multis, in frigore, et nuditate* (2 Cor. 11, 23, sqq.).

Sic Apostoli glorificaverunt Patrem qui in caelis est; sic *in omnem terram exivit sonus eorum, et usque in fines terrae verba eorum.* Apostoli nomine immerito gloriatur et incassum laborabit qui seipsum quaerit; qui propriam gloriam intendit aut invidet alienae; qui propria commoda curat. Summa enim et intima fructuosi Apostolatus ars in hoc consistit, ut

quis sibi, suae gloriae, suis commodis renuntians, unam Dei gloriam intendat et prosequatur. Hunc divina sua potentia Deus investiet, et a periculis servabit. Sensate ait S. Chryst. (Hom. 10 in ep. ad Tim.) : « *Idcirco* » *ille nos elegit ut simus quasi luminaria, et velut* » *fermentum evadamus, ut velut Angeli cum homi-* » *nibus versemur in terra, ut tanquam viri cum* » *pueris, tanquam spiritualcs cum animalibus aga-* » *mus*. Sicut ergo sol illuminat cloacas putidas, sed ab iis non sordidatur, ita et tu, o sacerdos, o religiose vir spiritualis, doceas hominem carnalem, ut eum emundes, sed ab eo nullam labem contrahas. Sol est in caelo, sed inde radios spargit in terram, quibus eam illustrat; ita et tu mente sis in caelis, corpore in terra, ut eam tuo sermone et exemplo virtutis illumines, calefacias et accendas. Sic eris lux et sol mundi. » Addit Chrys. rem notandam : « *Nemo profecto,* inquit, *gentilis esset si ipsi, ut oportet, christiani* » *esse curaremus : Si Dei monitis ac scitis obtem-* » *peraremus : si injuriam perpessi vicem non re-* » *ferremus : si maledictis lacessiti benediceremus :* » *si pro malis bona redderemus. Nemo esset ita* » *fera bellua, ut non statim ad cultum verae reli-* » *gionis occurreret, si videret haec ab omnibus fie-* » *ri. Atque ut discas ita esse, unus profecto Pau-*

» *lus tam multos ad Dei notitiam traxit. Si omnes* » *essemus hujusmodi, quot terrarum orbes attra-* » *here et ipsi possemus !* »

Tertium punctum. — *Tertio, ait S. P., se ostendit non transgressorem legis, sed consummatorem, explicans praeceptum de non occidendo, non moechando, non pejerando, et de diligendis inimicis; (ego dico vobis : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos).*

Exprobrabant Christo Pharisaei, quod legem transgrederetur. Ostendit Jesus nullam se Dei legem transgredi, neque hoc tantum, sed eam consummare se per majorem perfectionem; leges autem in sacro codice descriptas easque charitati consonas omnino omnes admittebat Jesus; sed illas respuebat, quibus Pharisaei, sub nomine traditionum seniorum plebem impia vexatione exagitabant; quorum hypocrisim et tyrannidem mitissimus et miserabilium pater Jesus insectatur, falsa et spuria a veris Dei praeceptis distinguens. Servata igitur legitima auctoritate in iis quae sunt secundum Deum, falsos condemnat doctores, sicut et in V. T. falsos prophetas damnaverat : *Super cathedram Moysi sederunt Scribae et Pharisaei. Omnia ergo quaecumque dixerint vobis, servate, et facite : secundum vero opera eorum nolite facere : dicunt enim* (vera praecepta Dei)

et non faciunt. Alligant enim (contemnentes primum omnium mandatum, nimirum charitatem) *onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum : digito autem suo nolunt ea movere. Omnia vero opera sua faciunt ut videantur ab hominibus* (MATT. 23, 4, 5).

Nedum solverit legem Moysi Christus, eam, quamvis ut Deus ea non teneretur, stricte servavit : circumcisus est et in templo praesentatus, legesque caeremoniales omnes, quibus ipse praefigurabatur non servavit tantum, sed et in ultima caena atque in sua passione implevit.

Immo et consummator fuit legis, eam explicatius et perfectius docendo et sanciendo; pro temporariis, aeternas poenas ac praemia declarando, atque praecepta consiliis evangelicis ditando et exornando; denique adjecit, per fidem et Sacramenta, justificationem.

Ad eruditionem exercitantis, quatuor seligit S. P. praecepta, circa quae magni momenti est ut ille perfectius doceatur, et in quibus maxime se legis consummatorem Jesus exhibuit.

1. *Non occidendo. Audistis quia* (praeceptum) *dictum est antiquis : Non occides : qui autem occiderit, reus erit judicio.* Audi nunc quomodo Jesus, legem explicatius exponens, eam ab

omni falsa servat interpretatione et ad perfectionem consummat : *Ego autem dico vobis : omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio,* si utique ad peccatum ira pertingat et absit justa causa. Causa vero justa et laudabilis est, cum ira adversum peccatum aut peccatores ex zelo Dei excitatur : *irascimini, et nolite peccare;* pertingit autem ad mortale, si deliberate quis grave malum, vel corporis, vel bonorum, vel famae optet aut inferat; item si malo alterius, etiam merito, gaudeat, non propter justitiam, sed ex vindicta atque odio. Talis autem ira rea est judicio, poena nempe capitali, scil. hic judicio Dei. Scribae e contra docebant iram internam non esse peccatum. Hinc Christus : *Nisi abundaverit justitia vestra, plus quam Scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum* (Matt. 5, 20, 22).

Pergit Jesus : *Qui autem dixerit fratri suo, raca, reus erit concilio,* scil. solemnissimo judicio, in quo 72 judices erant; in judicio autem proprie dicto erant 23 tantum. Hic agitur de gravi peccato et de consequente aeterna damnatione. Quidquid sit de sensu vocis *raca,* certum est ea gravem injuriam intelligi, quae conspuitione et gravi contemptu dignum hominem exprimat. Ut autem talis injuria peccatum mortale constituat, requiritur ut ex in-

terna ira procedat, quae sit ipsa peccatum mortale.

Tandem : *Qui autem dixerit : fatue, reus erit gehennae ignis.* Summa haec injuria est; significat enim amentem et emedullati cerebri hominem, qui pecudi confertur; aufer enim ab homine rationem, et habebis pecus irrationabile. Sub hujus contumeliae nomine veniunt et aliae injuriae similis gravitatis. Contumeliae autem gravitas vel levitas maxime ex affectu eam proferentis spectanda et metienda est. Unde cum dicis eam joco, aut non animo inhonorandi, sed corrigendi, non formalis, sed materialis dumtaxat est contumelia. Ita S. Thom. Hinc parentes licite filios suos, magistri discipulos, domini servos durius per verba contumeliae pungunt, si moderate ad correctionem hoc fiat. Sic Christus vocat Petrum satanam, et Paulus Galatas insensatos. Rursum contumeliae gravitas metienda est ex personae dignitate. Extra dictas exceptiones, contumelia illa ex se gravissima, rea est gehennae, quia est peccatum mortale.

Concludit Christus : *Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te : relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo; et tunc veniens offeres munus tuum.* Scil. si

aliquam ex praedictis injuriam fecisti fratri tuo, aut alio modo eum offendisti, *relinque...* Scribae enim, hypocritae illi, ut videtur, docebant, ut lucrum sibi ex sacrificiis conquirerent, omnia peccata, et ipsum homicidium per solam sacrificiorum oblationem remitti, quin proximo laeso ulla satisfactio fieret.

Vade reconciliari... Nisi locus, tempus, et ratio prudentiae obstent, verba illa praeceptum continent, non merum consilium; si autem obstent rationes modo allatae, requiritur ut reconciliatio fiat affectu saltem, scil. odium in corde remittendo, et facto proposito reconciliationis cum *offenso (quia frater habet aliquid adversum te; eum enim offendisti).*

Quod autem reconciliatio illa sit ex praecepto, sive sub gravi sive sub levi, pro natura offensionis, probatur 1. Quia reconciliatio est praeceptum charitatis, sacrificium autem, consilium. 2. Quia Deus manet nobis offensus, quamdiu nos in offensa proximi manemus. 3. Quia sacrificium est symbolum et protestatio pacis. Quomodo ergo symbolum pacis Deo offeres, nisi prius cum proximo quem laesisti te reconciliaveris, ab eoque pacem, acceperis? 4. Quia Deus plus diligit concordiam fidelium quam munera, ac per eam magis honoratur. Immo Deo non placet discordium sacrificium.

Quid est, ait Tert. de orat., *ad pacem Dei accedere sine pace? ad remissionem debitorum cum retentione? Quomodo placabit patrem iratus in fratrem?*

Si haec de omni munere Deo offerendo vera sunt, quanto magis de divinissimo Missae sacrificio et de sacra Communione? Quid enim sacra communio est, nisi communis omnium unio in Christo? Cum enim SS. Eucharistia sit Sacrificium simul et Sacramentum, atque ex essentia sua professio mutuae unionis et pacis, omnis discordia facessat necesse est, et sacram synaxim praecedat reconciliatio. Cum illo enim qui quem amat offendit, uniri se Jesus non patitur. Mentitur praeterea qui Sacramentum unionis Christi cum omnibus et omnium cum Christo suscipiens, pro unione, simultatem et rancorem gerit in pectore. Hinc Aug. in L. de serm. Dei ait : *Te quaerit Dominus magis quam munus : offers munus tuum, et non es tu munus Dei. Plus quaerit Christus quem redemit sanguine suo, quam quod tu invenisti in horreo tuo.*

Qua de causa solebant antiquitus fideles, antequam ad sacram synaxim accederent, mutuum sibi dare osculum pacis, quasi symbolum reconciliationis et pacis : quod et nostris etiam temporibus fit inter sacerdotem et ministros, ubi solemniter sacris operantur; fide-

libus autem ad idem significandum, osculanda traditur patena seu tabella pacis.

De Joanne Eleem patriarcha narrat in ejus vita Leontius, quod si celebrans stansque jam ad altare clericum aliquem recordaretur contra se odium concepisse, quamvis non offendens ipse esset, sed offensus, prior tamen ab eo veniam peteret, atque ita illi reconciliatus, cum eodem gaudens ad altare rediret ac sacrificium perageret, cum fiducia dicens : *Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus.*

2. Praeceptum *de non moechando. Dictum est autem : Quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii.* Sat facile apud Judaeos diversis de causis dabatur uxori a marito libellum repudii, ita ut haec inde alteri nubere posset : Christus autem hunc usum in novo Testamento corrigit, perficit et consummat, cum matrimonium ad dignitatem Sacramenti evehit, et ad primitivam revocat indissolubilitatem. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* (Matt. 19, 6) : *Ego autem dico vobis : quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari; et qui dimissam duxerit, adulterat.* 1. Concedit hic Christus dare libellum in casu adulterii; ab adultero enim innocens abire potest juxta illud : *Frangenti fidem, fides frangatur eidem.* 2. Adultero et parti

innocenti, novas prohibet inire nuptias. 3. Lex soli viro concedebat dare libellum repudii : Christus aequum uxori ac marito jus concedit. Ex indissolubilitate matrimonii christiani liquet esse impiam conjunctis factam a moderna civili lege concessionem novum post separationem contrahendi matrimonium.

3. Praeceptum *de non pejerando. Iterum audistis quia dictum est antiquis : non perjurabis : reddes autem Domino juramenta tua :* Duo tantum hic prohibebantur; scil. invocare Deum in testem contra veritatem, et denegare Deo ea quae ipsi cum juramento promissa fuerant. Sequenti autem modo haec duo confirmat et perficiendo consummat Jesus : *Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per caelum, quia thronus Dei est : neque per terram, quia scabellum est pedum ejus : neque per Jerosolymam, quia civitas est magni regis; neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum. Sit autem sermo vester, est, est : non, non : quod autem his abundantius est, a malo est.*

Corrigit hic Christus Dominus multiplicem Scribarum et Pharisaeorum errorem, qui 1. negabant obligare juramentum factum per creaturas; 2. solum hoc praecepto prohiberi perjurium; 3. tandem juramentum per templum et altare non obligare; obligare autem

si fiat per aurum templi vel donum altaris. Aurum quippe et dona altaris in lucrum hypocritarum et rapacium illorum sacerdotum convertebantur.

Ad primum errorem docet prohiberi omne juramentum, si necessitas jurandi non adsit, aut tam levis in jurando habeatur utilitas, ut indignum sit Deo vocare eum in testem. Prohibetur enim leve, temerarium, et vanum juramentum.

Ad secundum autem et tertium, cum juramenti essentia sit vel immediate vel mediate vocare Deum in testem, Christus docet aequivalere juramentum sive per Deum fiat, sive per creaturas. Si enim jurans per meras creaturas non intendit vocare Divinitatem in testem, non facit verum juramentum; si autem a vero Deo intenderet abstrahere, et verum juramentum facere, scilicet divinitatem invocare, haberet creaturam ut Deum; quod esset idololatria.

Non jurare omnino : id est, non leviter et temere, ut saepius fit (quod a malo est) primo, propter malam propensionem ad juramentum, ne pejerationis periculum oriatur; secundo, propter debitam divino Nomini infinitam reverentiam; tertio, tanta hominibus et maxime Christianis deberet inesse fides et veritas, ut

injuratis, sed serio affirmantibus : est, est, non, non, propter odium mendacii credi possit. Et re quidem vera tutior genuini Christiani affirmatio plus valet, quam omnia hominis infidelis aut impii juramenta.

Conferantur hic ea quae, pro eximia sua in Deum reverentia, initio libelli de materia examinis agens, S. P. N. de juramento longe lateque exaravit.

4. Praeceptum *de diligendis inimicis (Ego dico vobis : diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos).*

Haec est doctrina Christi : *Audistis quia dictum est : Oculum pro oculo, et dentem pro dente;* haec lex (talionis dicta) per se justa est, sed per legitimam potestatem applicanda. Pergit Jesus perficiens et consummans praeceptum : *Ego autem dico vobis, non resistere malo; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam, praebe illi et alteram : Et ei qui vult tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium. Et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum eo et alia duo. Qui petit a te, da ei, et volenti mutuari a te, ne avertaris. Audistis quia dictum est : Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos; et orate pro persequentibus et calumniantibus*

vos : ut sitis filii Patris vestri qui in caelis est : qui solem suum oriri facit super bonos et malos : et pluit super justos et injustos. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis ? Nonne et publicani hoc faciunt ? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis ? nonne et ethnici hoc faciunt ? Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est.

Valde clara per se illa sunt, sed alia de praecepto sunt, alia de consilio; quam distinctionem dilucide ita solvit Corn. a Lap. : « Nota hanc Christi legem privatis non adi- » mere jus talionis, (intelligit Corn. jus a po- » testate legitima obtinendum) quod est na- » turae et gentium, tum ad justitiae laesae » reparationem, tum ad rei qui laesit cor- » rectionem; multo minus adimit jus se de- » fendendi, quo quis ab hoste invasus, vim vi » repellit, et si aliter evadere nequit, invaden- » tem occidit; sed tantum vetat hic Christus » vindictae cupiditatem. Nota et Christum » hic velle nobis imprimere propensionem ad » mansuetudinem et patientiam, ut quantavis » injuria laedaris, a pace tamen, charitate et » suavitate mentis interna vel hilum decedas; » utque si charitas proximi et Dei gloria aut » animi proprii tranquillitas et recta ratio in » tali rerum peristasi, sive circumstantia non

» tantum suadeat ut perfectius, sed absolute
» id exigat ut necessarium, non resistas malo,
» sed patienter illud excipias, ac opes et cor-
» pus tuum praedae des invasori, uti contin-
» gebat, tempore persecutionum primitivae
» Ecclesiae, praesertim in Apostolis virisque
» apostolicis; atque hac parte praeceptum est
» non resistere malo; alias dumtaxat est con-
» silium; v. g. consilium est non resistere in-
» vasori, sed ejus vim et injuriam sustinere,
» ubi et quando charitas et Dei gloria con-
» trarium non exigit; sed suadet tantum ut
» perfectius, aut ad mortificationis studium,
» ubi utrimque aequalis est Dei gloria, id fa-
» cere ad insignem sui victoriam. Idem dicen-
» dum de tribus sequentibus casibus, (scil. de
» alapa, de tunica, de passibus). Haec ergo
» communiter sunt consilii, praecepti vero,
» cum Dei gloria et salus proximi id absolute
» jubet et praecipit, v. g. si Indi et Japones
» scirent Christum praecepisse Christianis ut
» percutienti unam maxillam praeberent alte-
» ram, et nisi hoc illi faciant ipsi scandaliza-
» rentur, et a fide Christi suscipienda averte-
» rentur, tunc utique Christianus, praesertim
» praedicator ferienti unam genam porrigere
» debet alteram. Cujus rei litterale exemplum
» exstat in vita S. Francisci Xaverii : Cum

» enim Japones riderent ut peregrinam ejus » novam de Christo crucifixo doctrinam, con- » tigit, ut Japon quidem audiens Joannem » Fernandes, qui Xaverii erat socius, in platea » concionantem, ex petulantia crassum et vi- » rulentum phlegma in faciem ejus expueret : » qua injuria nil commotus Fernandes, de- » terso leniter sputo in concione animose per- » rexit; quod factum, ac tantam patientiam » et sapientiam novorum praedicatorum ad- » mirantes Japones, certatim eis se discipulos » tradidere, fidemque Christi amplexi sunt. » Patiens ergo non resistens malo, non ab illo » vincitur, sed illud vincit, iram vincendo. »

Diligite inimicos vestros. Scribae legem : *Diliges proximum tuum* ita interpretabantur : *Diliges amicum;* amici autem ipsis existimabantur Judaei; ceteri omnes, et maxime Chananaei, erant inimici, et consequenter odio habendi : *odio habebis inimicum.* Impiam hanc interpretationem corrigit Christus Dominus, dicendo diligendos esse et amicos et inimicos, omnesque omnino homines *proximi* appellatione contineri. Praecipit igitur 1. Ut inimicos non odiamus, sed interno sinceroque amore diligamus : quo certe non intelligitur amorem hic sensibilem requiri sine ullo sensu injuriae et indignationis : haec enim perfectio solis Chris-

tianae virtutis heroïbus, ut Stephano, Jacobo, Francisco Salesio, B. Virgini et Christo, competit; sed ut opere et precibus, affectum temperantes, amorem exhibeamus. Sicut amoris Christi testimonium certum est ejus adimplere voluntatem *(Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est, qui diligit me),* ita et ille diligit inimicum, qui abjecta vindicta, ei exhibet officia charitatis. 2. Ut communia amoris signa externa, sive loquendo et salutando, sive benefaciendo, eis non negemus.

De hoc praecepto dicendum est illud esse difficillimum omnium pariter et sublimissimum. Quod sit difficillimum, nemo non fatebitur; nec sine illa quam Christus in cruce moriens suo sanguine et exemplo promeruit gratia, per vires humanas impleri posset. Ex ipsa hac difficultate jam patet praeceptum illud esse etiam sublimissimum; sed id maxime eruitur ex conclusione sermonis Christi : *Estote* ERGO *perfecti sicut Pater caelestis perfectus est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.* Unde perfectus erit, qui diligit inimicos, quia nemo ad tantum fastigium ascendet nisi inferiora ante calcaverit. Quod illud summum sit virtutis fastigium, sole clarius est; nam in charitate, quae virtutum regina est, perfectio tota continetur.

Jam vero apex charitatis est inimicorum dilectio; neque ad apicem hunc ullus conscendet, nisi insignis in eo Dei amor exstiterit.

Sed et nihil forte certius et efficacius ad perfectionem juvat quam inimicorum dilectio. Cum Taulerus virginem aliquam ad culmen sanctitatis evectam rogaret qua ratione eo pervenisset, respondit illa : « *Eos qui mihi molesti* » *erant aut infensi, singulari amore dilexi,* atque » illi a quo laesa fueram, peculiare semper » beneficium contuli, quod alias ei non con- » tulissem. »

Unde non mirum, ex una parte Christum dixisse : *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos,* ex altera vero S. Ignatium, Christi imitatorem, suis praescripsisse ut saepius pro inimicis Societatis orarent.

Vis autem a principio impetum irae atque odii vincere? Eo ipso momento quo injuriam accipis, commenda Deo inimicum : Benedic ei, Domine, sicut et mihi, neque ab hoc deflecte, etiamsi id ore tantum facere tibi videaris. Non sensum attendit Deus, qui sensus non semper est in nostra potestate, sed cor, scilicet voluntatem. Actus autem voluntatis oratio illa est : *Orate pro persequentibus vos.* Mire praeterea confortabimur, si consideremus 1° non debere nos inimicum diligere propter ip-

sum, sed propter Deum et Christum, qui nos tanto amore dilexit, et jam a nobis summum illud reciproci amoris testimonium tam enixe efflagitat. 2° Tam sublime, tam divinum ipsum Jesum nobis dilectionis inimicorum exemplum dedisse; qui eo ipso tempore quo clavis cruci affigebatur, aiebat : *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* 3° Immensam tam heroïco actui reservatam mercedem, propter magnam provenientem inde Deo gloriam, et proximo aedificationem (1).

In fine colloquium cum Christo, et *Pater noster.*

Nona dies

PRIMUM EXERCITIUM

Quomodo Christus sedavit maris tempestatem

SCRIBUNT MATT. C. 8, MARC. C. 4, LUC. C. 8

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Erit hic quomodo cum Christus dormiret in navi, orta

(1) Ex hac in specie contemplatione, quam propter rerum naturam in longum protraximus, facile lector intelliget, 1° cur in titulo hujus operis posuerimus, non *ad usum eorum qui faciunt*, nec solum *ad usum eorum qui tradunt Exercitia*, sed et ad usum *concionatorum*. 2° Directori committere S. Patrem, ut materias contemplationum pro opportunitate adhibeat, ordinet atque dividat.

tempestate magna, excitaverunt eum a somno discipuli ejus; eosque reprehendit Jesus de modica sua fide; et praecepit dein ventis et mari, factaque est illico tranquillitas magna, cum stupore eorum qui erant in navibus.

Secundum praeambulum, compositio loci. Erit videre, quasi praesens adessem, stagnum Genesareth, navem Domini et ceteras hanc comitantes.

Tertium praeambulum, idem ac pro Incarnatione.

Primum punctum. — *Primo,* ait S. P., *dum Christus Dominus dormiebat in mari, facta est magna tempestas.*

Viva repraesentatione contemplabor in littore maris Jesum docentem turbam per parabolam seminantis. Quanta in eo caelestis dignitas, et zelus amore plenus resplendet, et quanta cum aviditate ac reverentia turba eum respicit, atque doctrinam ejus excipit! Jam advesperascit, et de reditu nemo est sollicitus. Sollicitus autem pro turba Jesus ait discipulis : *Transfretemus trans stagnum.* Discipuli itaque *dimittentes turbam assumunt eum, ita ut erat in navi; et ascendente eo in naviculam, secuti eum discipuli ejus* in eadem vel in alia navicula; nam *et aliae naves erant cum illo,* ait Marcus.

Obediunt Christo discipuli, nec deerunt

fructus obedientiae; sed neque deerit probatio et periculum. Sciebat enim Jesus quam esset non modo permissurus, sed excitaturus procellam, ut in suis fidem de sua divinitate firmaret, atque inconcussam de divino, etiam in extremis periculis, auxilio obtinendo, modo ne ab ipso discederent doceret : *Ecce ego vobiscum sum — Confidite, ego vici mundum.* Quid mundus ille in quo vivimus est, nisi magnum mare, in quo navigant omnes, alii in navi Christi, scil. in Ecclesia, alii in aliis navibus? Multi ad felicem salutis portum appellunt, plures vero scopulis allisi aut abrepti tempestate, naufragio pereunt et in baratrum infernale vitiorum voragine detruduntur. Nec ipsi qui in navi Ecclesiae, cujus salus certa est, a periculo eximuntur; possunt enim ab ea aut excludi aut deficere, vel a syrena voluptatis seduci, aut, nisi vigiles fuerint, a monstris vitiorum corripi et dilaniari.

Et ecce, sicut fieri solet, nil tale expectantibus discipulis, omnia in aere perturbantur, pugnant acriter venti, et magna in mari eousque tranquillo tempestas oritur. Assurgentes fluctus in navim et in discipulos insiliunt; incipit navis inundatione compleri; atque in eo jam navicula est ut submergatur et pereat. *Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navi-*

cula operiretur fluctibus. Marc. ait : *Fluctus mittebat in navim, ita ut impleretur navis*. Mors jam omnibus imminebat. Sic et Ecclesiam suam, immo et membra ejus singula in summum discrimen venire non raro Deus permittit, ut quo minus humanae vires sufficiunt, eo magis divina potentia resplendeat. Tempestatem illam Christus ipse excitaverat ut discipulis esse se Deum ostenderet, cui mare, venti et omnia obediunt : voluit praeterea, hujus physicae tempestatis imagine, eos ad tempestates et persecutiones omnis generis ferendas, quas a parte mundi et inferni in suo apostolatu passuri erant, exercere, atque in spem nunquam defuturi caelestis auxilii, si confiderent et orarent, erigere.

Brevi enim Christus rediturus ad Patrem, futurus erat eis invisibilis. Invisibilem autem adfuturum se promisit : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sacculi*. Solo igitur fidei oculo poterit ejus apprehendi praesentia, atque in eo aeque erit confidendum ac si praesens cerneretur. Ad hoc eos et singulos nos omnes praeparare et exercere Christus voluit, cum *navigantibus illis obdormivit,* dumque omnia in extremo erant mortis discrimine, *ipse vero dormiebat*. Quoties accidit ut Ecclesia et supremus ejus Pontifex ad os ipsum praecipi-

tii venire videantur, et Christus dormit, et abesse videtur! sed *in puppi super cervical dormit,* et sua Divinitate vigilat. Quoties accidit et mihi, ut inter procellas tentationum, nullam amplius vim ad resistendum habere videar, et Christus dormit, nec meo periculo eum attendere existimo! *Cui resistite* (tentationi) *fortes,* non in vobis, sed *in fide* divinitatis Christi, atque ejus promissionis, et providentiae. *Ecce ego vobiscum sum. — Justus meus ex fide vivit. Confidite, ego vici mundum. In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum* (Ps. 30, 2).

Secundum punctum. — Infirma adhuc erat discipulorum fides : humanitas quidem Christi dormiebat, nec ab ejus humanitate erant expectanda miracula; sed Divinitas ejus, quae sola eos in extremo illo periculo servare valebat, nunquam dormit, ideoque valebat etiam dormiens Jesus invocatus aeque ac vigilans eos ab aquis et tempestate incolumes efficere. Ita et in SS. Eucharistia, in qua dormire videtur totus et abesse, semper praesens nobis adest : *Ecce ego vobiscum;* sed quoties et nobis dici deberet : *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis?*

Territi, ut ait S. P., *discipuli ejus accesserunt ad eum, et suscitaverunt eum, dicentes : Domine,*

salva nos, perimus; apud Marcum dicunt terrore abrepti : *Magister, non ad te pertinet quia perimus?* De specie illa exprobrationis, quae ceterum cum supplicatione et non sine amore proferebatur, nullo autem modo ex objurgatione et accusatione, conquestus esse Dominus non legitur : similia enim, modo non absit debita Divinitati reverentia, ei placent, propter fiduciam, nedum displiceant; atque ipse Deus per sacros scriptores talem nobis orandi modum in nostris angustiis inspiravit : *Exurge, quare obdormis, Domine? Exurge, et ne repellas in finem. Quare faciem tuam avertis, oblivisceris inopiae nostrae et tribulationis nostrae?* (Ps. 43, 23). Mitius autem continuo Psalmista cum humili supplicatione subjicit : *Exurge Domine, adjuva nos : et redime nos propter nomen tuum.* Nonne et ipsa sanctissima Virgo Mater Filio suo ac Domino dixit : *Fili, quid fecisti nobis sic?* Injuriosa illa non sunt, sed afflictionis simul et filialis fiduciae significationes.

Veram autem et seriam exprobrationem suis discipulis, clementer tamen et paterne Jesus objicit : *quos ob exiguam fidem quam habebant, ait S. P., reprehendit, dicens : Quid timidi estis, modicae fidei?* Nil saepius commendat Christus Dominus quam ut fides eaque firmissima habeatur; per fidem quippe quae in

nobis summa sunt, judicium scilicet et intellectum, in holocaustum Deo, cum magna ejus gloria offerimus; in nobis vero ex firma fide, qua divinam potentiam et bonitatem agnoscimus, oritur fiducia, quae, ut in thaumaturgis videre est, a Deo omnia impetrat. *Amen quippe dico vobis, ait Jesus, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic : Transi hinc illuc, et transibit, et nihil impossibile erit vobis* (MATT. 17, 19); sed audi conditionem in ep. Jac. 1, 6. expressam : *Postulet in fide nihil haesitans; qui enim haesitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur. Non ergo aestimet homo ille quod accipiat aliquid a Domino.*

Quid timidi estis, modicae fidei? Ex modica fide procedit timiditas, timor scil. ne optatum auxilium a Deo non veniat; haec autem haesitatio, utpote quae fidei in divinam promissionem et potentiam officit, Deum nec honorat nec vincit. Hinc diabolus hujus rei apprime conscius, nil non movet, in gravioribus praesertim tentationibus, ut hominem a fiducia dejiciat, contristet atque in desperationem praecipitet. (Cfr. regulas de discr. spir.) Qui ergo tentatur, ne insidiis inimici obsecundet, atque, etiamsi rapi se quodammodo in abyssum sentiat, in spem contra spem erigens sese, cum immota fortitudine dicat Deo : Domine,

etiamsi occideris me, in te sperabo (Job. 13, 15); sentietque vere dixisse Deum : *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum.* (Ps. 90).

Tertium punctum. — *Tertio,* ait S. P., *praecepit ventis, et mari, ut cessarent; et ita illis cessantibus factum est tranquillum mare, de quo mirabantur homines, dicentes : (Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei?)*

Contemplare Jesum familiari, dum adhuc decumbit, sermone discipulos increpantem. Continuo autem surgens atque stans, suam, non qua homo, sed qua Deus divinam potestatem miraculose exercet, sicque esse se elementorum omnium Dominum ostendit. Contemplare eum manum et oculos super fluctus elevantem ut imperet tempestati : *Et consurgens,* ait Marcus, *comminatus est vento, et dixit mari : Tace et obmutesce. Et cessavit ventus : et facta est tranquillitas magna.*

Sic Christus permittit furere tempestates in Ecclesiam, sed quando eo pervenit tempestas, quo eam ad ipsam electorum suorum salutem et gloriam ascendere permisit, quasi e somno surgit, imperatque ventis et mari, et illico fit tranquillitas magna. Idem accidit et nobis qui in hoc mare mundi tot tentationum tempestatibus sumus obnoxii; si inter mugitus ip-

sos infernales, resistendo quantum possumus navigamus, Christique recordantes eum animose invocamus, tempestati continuo tranquillitas magna, immo quandoque et divina consolatio succedit.

Cum resplenduisset ita illico Filii Dei divinitas, quasi fulgure perculsi *homines,* id est ii qui erant sive in navi cum Christo et Apostolis sive in aliis navibus, *timuerunt timore magno et dicebant ad alterutrum : Quis putas est iste, quia et ventus et mare obediunt ei?* Quanto majori timore contremiscent in ultimo judicio impii et peccatores cum videbunt, non cohibentem, sed excitantem horribilem illam tempestatem, qua dejicientur in infernum, eumdum illum Christum quem contempserunt et *in quem transfixerunt ! Dominum formidabunt adversarii ejus, et super ipsos in caelis tonabit : Dominus judicabit fines terrae, et dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu Christi sui* (I Reg. II, 10).

Omnes, sive justi, sive injusti, eum videbimus venientem in nubibus cum potestate magna; et dum plangent mali omnes, boni prae gaudio exsultabunt. Interea invisibilis, quamvis praesens, manebit Jesus, et quasi dormiet super cervical in puppi navis suae, quae Ecclesia est. Ipsum non videns, in eum tamen credam, eum diligam, in eo confidam; atque

in omnibus animae meae tempestatibus, accedam ad eum, eum suscitabo, et plena ac firma fide dicam, et repetam : *Domine salva me, pereo.*

In fine colloquium, et *Pater noster.*

SECUNDUM EXERCITIUM

Quomodo Christus ambulabat super mare

SCRIBIT MATT. 14

Notemus S. Patrem neque hic servare ordinem historicum mysteriorum; quippe qui nos, non seriem historiae docere, sed ad virtutes apostolicas efformare intendit. Hinc antequam Christus suos ad praedicandum Apostolos mitteret, eis in monte longe lateque doctrinam evangelicam exposuit, zelumque eorum accendit simul et direxit. In hac vero contemplatione sicut in praecedente, excitat et obfirmat eorum fidem, tantamque eis fiduciam infundit, ut etiam maxima se facturos miracula firmiter sperent, modo non sibi, sed Christo innitantur. Eos autem praemunitos praedicationis experimento dein objiciet.

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Erit hic, quomodo dimissa turba jussit discipulos trans-

fretare, et ipse noctu oravit in monte. Tempestate saeviente, Christus ambulavit super aquas; territi sunt hoc videntes discipuli, sed audito et agnito Jesu recreati sunt. Petrus facultate a Christo accepta, ambulat et ipse ad eum supra mare; at venti turbine territus haesitat in fide, mergique incipiens clamat ad Jesum; qui eum reprehendendo, manu sublevat; atque cum eo intrat in navim; subito autem, et cessat tempestas et miraculose appellit navis ad littus.

Secundum praeambulum, compositio loci. Erit hic videre, quasi praesens adessem, mare Galilaeae, navim Petri, littus et vicinum montem.

Tertium praeambulum, idem atque pro Incarnatione.

Primum punctum. — *Primo,* ait S. P., *cum Christus Dominus noster esset in monte, jussit discipulos abire in naviculam. Et dimissa turba, coepit orationem facere solus.*

Matt. sic habet : *Et statim compulit Jesus discipulos ascendere in naviculam et praecedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas. Et dimissa turba, ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto, solus erat ibi.*

Contemplare Jesum, post tantum multiplicatorum panum miraculum, humilem et ama-

bilem, coram eo autem et discipulos gaudentes et turbam cujus numerus, omissis parvulis et mulieribus, erat quinque millium virorum, qui omnes admirantes divinam Christi potentiam et bonitatem, et ipsos ejus discipulos alte suspiciebant. Gloria enim Magistri et in discipulos redundabat qui tanti portenti instrumenta fuerant. Cum autem eos Jesus plus aequo gaudentes et non nihil gloriantes cerneret, eorum gloriolae humiliationem injecit. Ut enim eos ex laudibus hominum doceret non increscere, coram omni turba, ad utilem eorum confusionem, quasi ex abrupto eorum vanitatem confregit; neque rogavit hic eos ut in navem conscenderent, sed compulit invitos, durius scilicet agens, sicut cum dominus servum, aut magister discipulum vult deprimere; neque eis ullum ad degustandam exsultantis plebis admirationem momentum concessit; sed *statim compulit,* vanitati humilem obedientiam opponens; nec dimittendi plebem curam et tempus concedens, eos cogit in navem ascendere.

Sensui jucundissimo derepente successit in corde Apostolorum sensus amarissimus, tum scilicet publicae humiliationis, tum doloris propter separationem. Sic Christus informabat suos, eosque a scopulo vanitatis et super-

biae, paterne quidem, sed et viriliter servabat : *Ut non glorietur omnis caro in conspectu Dei.* Sic docuit Jesus superiores de continendis in humilitate sibi concreditis missionariis; docuit et ipsos missionarios ut, peracta missione, ne remaneant ad colligendas laudes, sed statim ascendant navim, et alio transfretent, omnem plausum, quantum possunt, fugientes. Soli Deo honor et gloria, nobis autem confusio.

Etsi tristes et compuncti, obediunt tamen discipuli, et moestis in Christum conversis oculis navigare incipiunt. Abire jussi sunt, non autem reverti. Quandonam ad eos redibit Jesus, qui navem non habet? Sic Christus suos post magnas quandoque consolationes duro probat derelictionis experimento, ut nulli, praeterquam sibi, adhaereant, et Deum consolationum, non consolationes Dei quaerere discant.

Contemplabor Jesum, postquam suos dilectos discipulos abire compulit, cum paterna suavitate turbas dimittentem, quae cum humilitate et simplicitate obediunt. Ubi autem abierunt, Jesum, exemplar meum, contemplabor aeque humilem, modestum, ac animo collectum, ac si neque concione, neque miraculo cujusquam movisset admirationem. Sequar eum cum magna humilitate et reverentia,

dum ascendit in montem Deo solo plenus. Sic docet Apostolos vitam contemplativam cum activa sociare, ut et a publica divini verbi praedicatione ad solitariam orationem, et ab oratione ad praedicationem procedant. Ita missionarius et vanam gloriam praevenit, cui maledicit Deus, et a Christo ipso, pro Christo legatione fungens, inter orandum, quid agere, quid dicere debeat, ut gloriam Deo, proximis autem sanctificationem procuret, quasi immediate suscipit. Efficaciora enim per semihoram orationis, quam per plurimas laboris et scriptionis horas hauriet. S. Thomas, cui dixerat Jesus : « Bene de me, Thoma, scripsisti; » quam mercedem accipies? » fratri suo ac socio Reginaldo fassus est hausisse se suam doctrinam non tam in libris aut propriis scrutationibus, quam in oratione coram Christo crucifixo. Aliter sentiunt qui sua quaerentes, non quae Jesu Christi, praeclari oratoris famam prosequuntur : sed et de iis dicendum : *Vacua est spes illorum, et labores sine fructu, et inutilia opera eorum* (Sap. 3, 11), non quia proprio labore, quem Deus ipse praerequirit, insudaverunt, sed quia seipsos quaerentes, nec Deum interrogaverunt nec Dei gloriam intenderunt.

Aspiciam Jesum humi magna cum humili-

tate et reverentia coram Patre prostratum. Quanto cum amore, quanta cum fiducia illum alloquitur! Pro Apostolis orat; orat et pro me. Ad majorem animi recollectionem, et montem eligit et noctem : utque hanc secessionem et solitudinem tantopere a S. P. in 20 annot. laudatam commendet, S. Spiritus bis memorat quod Christus erat ibi solus : *ascendit in montem* SOLUS *orare*, et : *vespere autem facto,* SOLUS *erat ibi.*

Secundum punctum. — *Secundo,* ait S. P., *navicula jactabatur fluctibus, ad quam venit Christus ambulans super aquam; et discipuli putabant phantasma esse.*

Sic narrat Matt. : *Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus : erat enim contrarius ventus.* Mediam igitur itineris partem navis fecerat, et per tres vigilias, scil. per novem horas perduravit tempestas, quae non mediocris esse debuit, ut eo tempore tam exiguum spatium Apostoli percurrerint.

Contemplare in medio mari mediisque in tenebris naviculam, et in ea discipulos contra mortem luctantes, fatigatos et tristitia ac terrore plenos. Intra pauculas horas, quanta mutatio! Modo cum Christo stantes, laeti gloriabantur : et ecce publice humiliati, a Christo relicti sunt; nec id satis : atra in nocte ingruit

tempestas; neque nunc Jesum habent in navicula dormientem, quem excitare valeant. Poterant quidem etiam in monte, orantem, ut Deum ubique praesentem, orare, ab eoque exaudiri; sed manca adhuc eorum fides sicut dormienti Jesu non confidit, ita et multo minus confidit absenti : O si esset hic, nil timendum haberemus! Quam longe ab eis nunc est vespertina laetitia et de multiplicatione panum exsultatio! Hanc animi depressionem intenderat Jesus, sed eam ex amore, ut scilicet dilectos suos discipulos ab horrenda superbiae lue servaret, et in humilitate exerceret permisit.

Tales sive consolationum, sive desolationum vices omnibus Christi servis communes sunt, ut ex regulis disc. spir. et experientia satis constat. Lege Th. Kemp. I, 23 : « Fili, » noli credere affectui tuo qui nunc est : cito » mutabitur in aliud. Quamdiu vixeris, muta» bilitati subjectus es, etiam nolens : ut modo » laetus, modo tristis; modo pacatus, modo » turbatus; nunc devotus, nunc indevotus; » nunc studiosus, nunc acediosus; nunc gra» vis, nunc levis inveniaris. » Audi nunc quid, in his agendum praescribat. « Sed stat super » haec mutabilia sapiens, et bene doctus in » spiritu, non attendens quid in se *sentiat,* nec

» qua parte flet ventus instabilitatis; sed ut » tota *intentio mentis* ejus ad debitum et opta- » tem proficiat finem... Quanto autem purior » fuerit intentionis oculus, tanto constantius » itur inter diversas procellas. »

Hic, et in multis aliis Evangelii locis, plurima non tantum *dicta* sunt, sed et facta per allegoriam. Sic significare Christo Domino placuit per mare, mundum; per pisces, homines; per retia praedicationem; per navem, Ecclesiam; per ventos contrarios, difficultates; per tempestates, tentationes et persecutiones; per felicem appulsum, caeli beatitudinem; per naufragium, damnationem aeternam.

In toto hujus vitae decursu, quidquid facias, nec ventos contrarios, nec tempestates effugere poteris. Vicissitudines enim illae, post invectam naturae nostrae per originale peccatum corruptelam, quasi de essentia sunt. Nec bona facere possumus, nec vitare mala, nisi adversus contrarios ventos gnaviter remigando et ad Christum clamando, obnitamur. Non raro etiam et ex anima ipsa tenebrarum spiritualium nocte obducta tempestates exsurgunt; atque horrendi fluctus, aut superbiae, aut cupiditatis, aut irae ac vindictae, aut luxuriae in navim animae nostrae quasi invincibiles tumultuatim insurgunt, certamque ruinam al-

laturi videntur. Haec permittit Christus ut in veritate, in agnitione nostrae miseriae atque indigentiae consistamus, ac incessabiles palmas vincendo consequamur. *Regnum caelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* Ne timeas, neque animo despondeas : *Omne quod tibi applicitum fuerit,* ACCIPE; *et* IN DOLORE SUSTINE, *et in* HUMILITATE *tua* PATIENTIAM *habe.* Audi nunc quomodo te geras, ut vincas in omnibus : CREDE DEO, *et recuperabit te; et* (luctando) DIRIGE *viam tuam et* SPERA *in illum. Serva* TIMOREM *illius, et in illo veterasce.* (ECCLI. 2, 4, 6). *Fidelis* autem *Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Audis Deum supponere in *te sustinentiam,* scilicet luctari te et ad Deum clamare? Naufragium is velle censendus est, qui aut sine velis orationum navigat, aut remigare recusat, aut navem voluntarie in scopulos dirigit.

Dum Apostolorum navis in omnem modum fluctibus jactabatur, Christus in monte non solum videbat omnia, sed tempestatem ipsemet provocabat; ita tamen fluctuum iras moderabatur, ut dilecti sui non submergerentur. Cum jam per novem horas passi essent et ad extremum viderentur adacti, descendit e monte Jesus cum magna tranquillitate; quia om-

nia in manu ejus sunt. Sic cum omnibus sibi caris animabus agit, ubi quasi in eo sunt ut pereant.

Contemplabor Jesum durante quarta noctis vigilia ad littus maris accedentem, et ad discipulos super aquas maris gradientem. Vident eum Apostoli, nec ullo modo de Jesu cogitantes, putant phantasma esse, et terrentur inde unde respirare ac recreari debuissent : *Et videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes : Quia phantasma est. Et prae timore clamaverunt.* Sic saepe Jesus aut ad salvandum venit, aut ad sanctificandum; venit aut sub specie terrifici et odiosi phantasmatis, scilicet per magnam humiliationem, per calumniam, per famae aut bonorum detrimentum, per morbum aut infirmitatem, ita ut ad eripiendum e tribulationibus veniens, non nisi ad cumulum addendum et ad ruinam consummandam accedere videatur. Oportebatne, ut postquam tanta essent passi discipuli, terribile et infensum infernale spectrum appareret, certam allaturum ruinam?

Pulchre in hunc locum adnotat Corn. a Lapide : « Ex hoc loco disce, hoc esse discrimen » boni et mali spiritus, quod bonus initio ter- » reat, mox consoletur, serenet et laetificet, » uti facit hic Christus; malus vero initio gau-

» dium spirituale ingerat; sed mox moero-» rem, angorem et desperationem immittat.» Recole historias, Evae cum Gabriele, et sanctarum mulierum cum Angelis ad S. Sepulchrum. Quoties igitur res aliqua sub specie delectationis cujuscumque mihi apparebit, diffidam et mihi cavebo; si autem sub specie amaritudinis, humiliationis, mortificationis, eo ipso confidam.

Tertium punctum. — *Tertio,* ait S. P., *dicente illis Christo : (Ego sum, nolite timere), S. Petrus ejus jussu venit ad illum ambulans super aquam, qui dubitans coepit mergi : sed Christus Dominus noster illum liberavit, et reprehendit eum de modica ejus fide, ac postea intrante illo in naviculam, cessavit ventus.*

Matt. scribit : *Statimque Jesus locutus est eis dicens : Habete fiduciam : ego sum, nolite timere.* Durante tempestate sequentia omnia peragentur, ut intelligamus in ipsa tribulatione adesse et juvare Jesum. *Cum ipso sum in tribulatione.*

Contemplare ex una parte discipulos prae terrore quasi amentes, ex altera Jesum ad eos pacifice et paterne accedentem. Quanta illico sensuum mutatio in Apostolis fiet ex agnitione Domini! Attente audi verba Christi; et inde fructum tibi collige, edisceque a S. P. in reg.

de discr. spir. proprium esse desolationis et tentationis diffidentiam et dejectionem parere : ideo ante omnia Jesus animo desponden-tibus commendat fiduciam. *Habete fiduciam.* In desolatione nil est difficilius; neque fiducia illa tunc requiritur quae sensu percipiatur, neque plerumque ea est possibilis, secus maxima pars tribulationis evanesceret : sed illa est fiducia possibilis, quae ex firma fide oritur et fidei tota innititur. Quidquid sentiam contrarium, confido, in spem contra spem. *In te Domine, speravi, non confundar in aeternum.* Incredibile est, quantum fiducia sua Deum honoret qui de sua spe sola fide certus dicit : *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo* (Job. 13, 15).

Ego sum, non phantasma, sed Deus vester, Magister vester et Servator, qui nihil vobis nisi bona facere aut permittere possum. O felix ille qui in omnibus quae sibi accidunt, semper audit Jesum cum amore dicentem : *Ego sum!* Injuriam tibi aliquis fecit, irasci incipis et vindictam cogitas? Audi Jesum : *Ego sum* qui hoc ad tuum in humilitate profectum permisi. — Ingratum tibi aut tuo judicio inopportunum mandatum a Superiore accipis? Interius improbas forte et supercilia contrahis? Audi Jesum : *Ego sum,* qui obedientiam volo et non sacrificium. — Morbo corriperis?

Tristitia te invadit et peccas impatientia? Audi Jesum : *Ego sum,* qui guttulam calicis mei tibi propino. — Tentationibus pulsaris et desolatione afficeris? Audi Jesum : *Ego sum,* qui te deprimo, ut humilitate erigaris : qui te exerceo, ut fortior evadas; qui forte certamen tibi do, ut vincas et coroneris.

Nolite timere : quia ego sum, omnium rector et Dominus. Si laborantes ad me clamatis et in me confiditis, *capillus de capite vestro non peribit* (Luc. 21, 18). Quamvis terribiliter tenteris, quamvis sub specie crudelissimi phantamatis, scil. cum summa humiliatione, mortificatione, tribulatione ad te veniam, et omnia perturbata ac perdita tibi videantur : *Ego sum,* noli timere; omnia enim in verum tuum bonum convertam. *Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum* (Rom. 8, 28).

Respondens autem Petrus dixit : Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas. At ipse ait : Veni. Contemplare ardentem amore Jesu Principem Apostolorum : ecce agnito Domino, a terrore et angoribus transit ad gaudium et exsultationem; tempestatem adhuc saevientem non curat, et cum ingenua parvulorum simplicitate gestiens, ne tantillum abesse se a Domino patitur, ingensque nullatenus haesitans postulat miraculum : *Domine,* qui omnia

potes, *si tu es;* non dubitantis vox ista est, sed laetitia gestientis et Christum anhelantis, ut illi, quem summe amabat, per aquas, miraculo accedente, quam proxime et quam citissime jungeretur. *Si* quidem *tu es;* ex voce enim, gestu, habitu, et multo magis ex sancto interiori instinctu Christum esse agnoverat. Quanta jam in Petro fides! Quanta cum ingenua tenerae aetatis simplicitate charitas! *Talium est regnum caelorum;* tales omnia obtinent, etiam miracula.

Festive hic S. Aug. (serm. 14 de serm. Dni) Petrum ita loquentem inducit : « Si tu es, non » miror quod solidam carnem super liquentis » elementi terga suspendis. Quid enim mirum, » si Conditori suo creatura famuletur? Hoc » ego non miror : fac quod mirer : Ambulet » Petrus; fac quod mirer : jube me venire ad » te super aquas. »

Tantam fidem, tantam charitatem, tantam cordis simplicitatem admirans, Christus dixit Petro : *Veni;* hac voce non tantum permisit Jesus Petro et jussit ut veniret, sed et ei cum certitudine et securitate, praerequisitam miraculorum fidem impertivit. Quae fides sane admirabilis fuit in eo qui ad unum Christi verbum obediens, illico mari se commisit. Contemplare eum primum pedem super aquam,

deinde, quod formidolosius est, et alterum. Ecce laetus, gestiensque, mirantibus discipulis, ambulat ad Christum super aquas. Ast tanta fides Apostolorum Principi necdum sufficit : *tu es Petrus :* tanta debet esse petrae super quam aedificabitur Ecclesia soliditas, ut nulli fluctus, tempestates nullae eam minimum etiam movere et afficere valeant. Ideo suam Christus probat petram, ut eam penitus confirmet.

Videns vero (Petrus) *ventum validum, timuit; et cum coepisset mergi, clamavit dicens : Domine, salvum me fac.* En denuo completa mutatio! a tristitia, subito, viso Domino, ad gaudium transierat, et ecce a gaudio jam redit ad tristitiam. Discet inde quam minime suis viribus fidere possit; exsultatio enim ejus et forte aliqua gloriatio mire illico retundetur. Christus namque, ut doceret Petrum humilitatem, validum illum ventum excitaverat, ut suam imbecillitatem Apostolus perspectam haberet.

Contemplare Petrum pavore correptum et mergi incipientem; non utique coepissit mergi, si satis firmus in fide fuisset, ut non timeret; sed timuit, et timere ac mergi quasi unum fuere et idem. Tanta est fidei necessitas, et tanta humana fragilitas, nisi Christus nos sustineat.

Suam humiliter agnoscit Petrus impotentiam, et per novum actum fidei ac fiduciae, clamat ad Christum et orat : *Domine, salvum me fac.* Qui in magnis periculis non orat, immo qui non *clamat,* (nam tunc clamor in oratione requiritur), in profundum descendet. « Fere enim, ait Corn. a Lap., omnis tenta- » tio oritur ex diffidentia Dei, quod homo » fidens sibi vel humanis auxiliis de Deo dif- » fidat; nec ad eum statim per orationem » recurrat. Hinc ergo discat tentatus, ut ani- » mum a re quam tentatio ingerit, avertat, » eumque totum ad Deum convertat, in eoque » defigat, et ejus opem supplex exoret. »

Vide nunc optimum Patrem Jesum ad filiolum suum manum protendentem, et hoc quidem ne minima quidem mora orationem inter et exauditionem intercedente : *Et continuo Jesus extendens manum apprehendit eum.* Contemplare et recreatum denuo super aquam stantem Petrum, et Jesum digito et voce dilectum suum Apostolum reprehendentem : *Et ait illi : Modicae fidei quare dubitasti?* Ex hoc patet quam perfectam et inconcussam a Petra Ecclesiae fidem divinus Magister requirat. Magnam igitur fidem non exhibuerat Apostolus utrumque mari pedem superimponens? immo et maximam; sed in minore defecit qui

summa vicerat. Non excusat se Petrus, sed amori Christi suo respondet amore.

Et cum ascendissent in naviculam, cessavit ventus. Quatuor magna miracula suis oculis viderant discipuli : 1. Christum ambulantem super aquas, 2. Petrum ante et post mersionem similiter ambulantem, 3. ventum illico cessantem; 4. navem e medio mari subito ad littus appellentem.

Hinc ex tanta Divinitatis Christi manifestatione sacro timore correpti, *qui erant in navicula venerunt, et adoraverunt eum, dicentes : Vere Filius Dei es :* Haerebo nonnihil in tam sublimi spectaculo contemplando.

In fine colloquium, et *Pater Noster.*

TERTIUM EXERCITIUM

Quomodo Apostoli fuere missi ad praedicandum

SCRIBIT S. MATTHAEUS, 10, 5

Apostolos suos electos, de cultu Deo et templo ejus exhibendo, de Spiritu Evangelii in octo Beatudinibus contento, de zelo exercendo, de boni exempli necessitate rite instruc-

tos, sibique per charitatem intime conjunctos, atque in fide et fiducia firmatos Christus Dominus mittit ad praedicandum. Ex his iterum patet integra haec Exercitia iis fere unice destinari qui ad vitam apostolicam vocati videntur.

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Erit hic, quomodo Christus mittit discipulos suos ad praedicandum, cum potestate ejiciendi daemonia et curandi infirmitates : eis commendat prudentiam et simplicitatem, patientiam gratuitum ministerium, paupertatem, et praedicationis modum ac materiam praefinit.

Secundum praeambulum, compositio loci. Erit hic videre montem in quo sedet Christus cum Discipulis.

Tertium praeambulum erit idem atque pro Incarnatione.

Primum punctum. — *Primo*, ait S. P., vocat *Christus dilectos suos discipulos, et dat illis potestatem ejiciendi daemonia ex hominum corporibus, et curandi omnes infirmitates.*

N. B. Duplicem tantum potestatem S. P. memorat, scil. in daemones et infirmitates, cum ab ipso Matth. nominetur et suscitatio mortuorum : *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, daemones ejicite.* Alias etiam

virtutes commendat Christus quam quae solae a S. P., ut praecipuae, ad scopum notantur.

Contemplare Christum Dominum exemplo primum suo dilectos suos Apostolos ad tenerrimam erga miseros compassionem, ad zelum apostolicum et ad praedicationem efformantem. *Et circuibat Jesus omnes civitates,* ait Matth. 15, 35., *et castella, docens in synagogis eorum, et praedicans Evangelium regni, et curans omnem languorem, et omnem infirmitatem.* Tale est Cor Jesu: vide nunc eum ad imaginem Cordis sui corda Apostolorum effingentem: *Videns autem turbas, misertus est eis; quia erant vexati, et jacentes sicut oves non habentes pastorem.* Si charitas vinculum est perfectionis, vinculum etiam est, quo animae suaviter ad Deum reducuntur; et, ut ait S. Greg., qui non habet charitatem, officium praedicationis suscipere nullatenus debet. Quam tenere movetur Cor Jesu ad spectaculum infirmorum: *misertus est eis, quia erant vexati, et jacentes sicut oves non habentes pastorem;* qui enim pastores esse debuerant, sacerdotes Scribae et Pharisaei, expilabant oves; de quo conqueritur bonus ille Pastor qui dat animam suam pro ovibus suis. Si sic Jesus ob infirmitates corporis movebatur, quanto magis infirmitatibus et letalibus vulneribus animarum, quas totius sui sanguinis effusione

erat paulo post in cruce sanaturus? Postquam compassionem in cordibus Discipulorum suorum excitavit, zelum eorum accendit : *Tunc dicit discipulis suis : Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis ut mittat operarios in messem suam.* Quam multae adhuc gentes sedent in tenebris et in umbra mortis! Quot millia millium gentilium hominum apud Sinenses, Indos et Afros descendunt in infernum, quia operarios non habent! Quis ergo non roget Dominum? immo quis in tanta et aeterna animarum clade non se offerat ad labores? Proculdubio discipuli responderunt singuli Christo : Ecce mitte me. — Tu autem quid respondes?

Exinde selegit Dominus duodecim, et misit eos, sed ad Judaeos tantum, quia Judaeis promissus Messias fuerat. *Hos duodecim misit Jesus : praecipiens eis, dicens : In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis : sed potius ite ad oves quae perierunt domus Israel.*

Postquam eorum jurisdictionem intra fines Judaeae ita restrinxit, eis miraculorum potestatem confert, et totam vitae apostolicae normam praefinit.

In confirmationem divinae missionis, et in testimonium propriae suae Divinitatis, con-

fert Christus Apostolis mirabilem et supernaturalem potentiam : *Infirmos curate* (Luc. ait : *ut languores curarent... et sanarent infirmos), mortuos suscitate, leprosos mundate : daemones ejicite.* Bene notat S. P. facultates illas sola corpora respicere : a minoribus videlicet et a sensibilibus incipit Jesus, potestatem in animas post Resurrectionem suam collaturus. Postquam enim venerit Paraclitus, Apostoli non corpora tantum, sed et animas a morte spirituali et aeterna per Baptismum et Poenitentiam, suscitabunt, per cetera autem Sacramenta ab omni infirmitate sanabunt, eisque divinam ac plane caelestem vitam conferent. O divina sacerdotum dignitas ac potentia!

Secundum punctum. — *Secundo,* ait S. P., *instruit illos de prudentia et patientia. (Ecce ego mitto vos sicut oves inter lupos. Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae).*

Solemniter, quia divine, Christus mittit : *Ecce :* mitto Ego qui Filius Dei sum, Deus omnipotens; qui vobis, per consequens, semper assistam, et conferam victoriam, si vere sicut *oves* fueritis. Haec enim conditio quasi de essentia est, ut nimirum, non humana, sed divina potentia resplendeat; quod mire a S. Chrysost. sic exponitur : « Erubescant qui » quasi lupi adversarios suos prosequuntur,

» cum videant lupos innumeros ab ovibus su-
» perari paucissimis. Et certe quousque sumus
» oves, facile hostes vincimus; cum vero in
» naturam luporum transimus, tunc supera-
» mur; nullum enim tunc nobis adest a Pas-
» tore patrocinium, qui non lupos, sed oves
» pascit. »

Sit ergo Apostolus, si per Christum vincere velit, ovis et agnus, primo, per innocentiam, secundo, per humilitatem et mansuetudinem; tertio, per patientiam, ut omnium injuriis, ipsique morti pro Christo corpus et membra omnia exponat; cogitet mitti se ut ovem inter lupos, sitque vitae suae prodigus; aestimet se morti destinatum; sit et ad labores et cruces atque ad mortem pro Christo subeundam promptus ac paratus. Aderit quidem Jesus; at interea persecutiones omnes quas in hoc mundo passuri sunt Apostoli, sine ambagibus vividissime eis describit. Verba ejus omnia attente considera et meditare : *Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos; et ad praesides et reges ducemini propter me, in testimonium illis et gentibus. Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini* (en divinum auxilium, ut de victoria confidant) : *dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini, non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus*

Patris vestri qui loquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium; et insurgent filii in parentes et morte afficient eos; et eritis odio omnibus propter nomen meum : qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam :.. Non est discipulus supra magistrum; nec servus super Dominum suum... Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere : sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. Quam igitur nullatenus sunt Apostoli, qui iram irae, injurias injuriis, verbera verberibus, vindictam vindictae, verba dura duris verbis opponunt, lupi inter lupos!

Bene Christum sapuit S. P. N. qui sibi et dilectae suae Societati, non favores mundi, sed persecutiones exoptavit et suis precibus impetravit; qui pro persecutoribus et inimicis nostris frequenter orare nos praescripsit; qui injurias et injustitias, calumnias et verbera, nisi aliud sola Dei gloria exigeret, patientissime et silentio toleravit!

Commendavit Jesus cum patientia prudentiam, quae eo major esse debebit quo cum callidioribus et astutioribus agendum erit hostibus : *Estote prudentes sicut serpentes.* Sicut enim serpens sibi ipsi cavet, et toto corpore occultat

caput, in quo vita ipsius est, ac protegit, ita et animam nostram, etiam cum rerum omnium et vitae ipsius detrimento servemus oportet. Pulchrius autem ait S. Hieron. : « Ita nos, » toto periculo corporis caput nostrum, qui » Christus est, custodiamus, id est, fidem in- » tegram et incorruptam servare studeamus. » Sicut serpens in paradiso callidus fuit ad » decipiendum; ita vos, dilecti discipuli, es- » tote prudentes ad lumen praeferendum, et » ad liberandum; laudavit lignum mortife- » rum, laudate salvificam crucis virtutem; » falsam immortalitatem et divinitatem per » superbiam et inobedientiam promisit, vos » veram per humilitatem et obedientiam pro- » mittite. Sicut serpens astutissimus est, et » cautissime ac opportuno tempore venenum » suum infundit, ita et vos occasiones praedi- » candi prudenter observetis, ac consideretis » quid cuique loco, tempori et personis con- » veniat, quidque ad persuadendum sit effica- » cissimum : v. g. ne sine fructu malos injuriis, » objurgationibus, clamoribus opprimatis, sed, » quamvis vitia ipsa viriliter insectemini, com- » passionem, charitatem iis exhibete qui pec- » cato misere serviunt. »

Et simplices sicut columbae. Simplicitas alia naturalis est, alia supernaturalis. In pueris illa

plerumque invenitur, rarissime in grandioribus. Illa a natura est nec meritoria; haec a gratia et a virtute nascitur et radices agit; magni et est meriti, quia non communem virtutem et fortitudinem supponit. Illam Christus amavit et laudavit, qui puerilem simplicitatem in exemplum dedit fatuitati ac insulsitati nullatenus affinem, quae fatuitas, utpote privatio, nec donum Dei, nec ullius laudis digna esse potest; sed eam simplicitatem proposuit, quae in tenera aetate velut nativus innocentiae flosculus omnem duplicitatem et malitiam excludit.

Simplicitas, quam Christus Apostolis hoc loco commendat et virtus supernaturalis est, quae ab ipsa perfectione vix distincta, sine perfectione nec existere nec permanere potest. Is enim solus supernaturaliter simplex dicendus est, qui unitatis in Fundamento Exercitiorum expositam vivida in seipso refert imaginem. Unitas enim quae de essentia est omnis pulchritudinis, est et cum simplicitate synonyma : In unitate ergo rectae ac purae intentionis simplicitatis virtus moralis et supernaturalis tota consistit; jam vero in nullo unitas illa existere potest, nisi in eo qui ad Fundamentum Exercitiorum effingens sese, solam solius Dei gloriam, ob quam creatus est, in-

tendens, amore, reverentia, obedientia similem se Deo facit, et nullius rei extra Deum affectu detentus, unam Dei gloriam, sive in usu, sive in abstinentia creaturarum prosequitur. Hanc simplicitatem, et Jesus in suo Evangelio, et Ignatius in suis Exercitiis, intenderunt, et pro scopo habuerunt.

Perfecta illa simplicitate a die Pentecostes donati fuere Apostoli, qui ab eo tempore judicarunt nil scire se, nisi Jesum, et hunc crucifixum; hanc habuit et Ignatius, qui a conversione sua ad mortem usque, nihil aliud intendit et prosecutus est, quam gloriam, immo et majorem Dei gloriam. Quis ex his non intelligat simplicitatem esse quasi apicem perfectionis, eamque omne genus virtutum complecti, humilitatem, abnegationem, charitatem, etc.?

Ex his etiam patet cum calliditate, perspicacitate, scientia, et prudentia, simplicitatem perfectissime posse coexsistere.

Ex his tandem concludendum, politicum, ut aiunt, sentiendi et agendi modum esse omni abominatione dignum, utpote qui ex superbia et amore proprio enascitur et odiosam duplicitatem sub fucata artis aut ingenii specie recelat.

Sicut veris Christianis chara est simplici-

tas, ita mundanis chara duplicitas est. Quid de simplicitate christiana mundus sentiat pulcherrime S. Greg. in lib. mor. sic exponit : « Deridetur justi simplicitas. Hujus mundi » sapientia est, cor machinationibus tegere, » sensum verbis velare; quae falsa sunt vera » ostendere : quae vera sunt falsa demonstra- » re. Haec enim prudentia usu a juvenibus » scitur, haec a pueris pretio discitur; hanc » qui sciunt, ceteros despiciendo superbiunt : » hanc qui nesciunt, subjecti et timidi in aliis » mirantur, quia ab eis haec eadem duplicita- » tis iniquitas nomine palliata diligitur, dum » mentis perversitas urbanitas vocatur. Haec » sibi obsequentibus praecipit honorum cul- » mina quaerere, adepta temporalis gloriae » vanitate gaudere, irrogata ab aliis mala » multiplicius reddere; cum vires suppetunt, » nullis resistentibus cedere : cum virtutis » possibilitas deest, quidquid explere per ma- » litiam non valent, hoc in pacifica bonitate » simulare. At contra sapientia justorum est, » nil per ostentationem fingere, sensum ver- » bis aperire, vera ut sunt diligere, falsa de- » vitare : bona gratis exhibere, mala libentius » tolerare quam facere, nullam injuriae ultio- » nem quaerere, pro veritate contumeliam lu- » crum putare. Sed haec justorum simplicitas

» deridetur; quia ab hujus mundi sapienti-
» bus, puritatis virtus fatuitas creditur. Omne
» enim quod innocenter agitur, ab eis procul
» dubio stultum putatur : et quidquid in ope-
» re veritas approbat, carnali sapientiae fa-
» tuum sonat. Quid namque stultius videtur
» mundo quam mentem verbis ostendere, nil
» callida machinatione simulare, nullas inju-
» riis contumelias reddere, pro maledicenti-
» bus orare, paupertatem quaerere, possessa
» relinquere, sapienti non resistere, percu-
» tienti alteram maxillam praebere? »

Tertium punctum. — *Tertio,* ait S. P., *tradit illis* modum eundi. *(Nolite possidere aurum, neque argentum. Gratis accepistis, gratis date); deditque eis materiam praedicandi. (Euntes praedicate dicentes : quia appropinquavit Regnum Caelorum).*

Duo tantum inter multa praecepta, quae tunc temporis Christus suis tradidit discipulis, seligit S. Ignatius, quia capitalia illa sunt : scilicet modum eundi et praedicationis argumentum.

1. Modus eundi, qui in absoluta paupertate constituitur : Quanti vero paupertatem, non professionis tantum sed et effectus faceret S. P., utpote quae, ubi voluntaria est, amorem opprobriorum parit, et inde humilitatem, patet ex toto Exercitiorum decursu, et maxime

ex contemplationibus de Regno Christi, de duobus Vexillis et de tribus Binariis.

Sic Christus eam praescripsit : *Nolite possidere* (scil. abdicate omne dominium) *aurum, neque argentum, neque* (etiam ad viaticum itineris, nisi aliter habere non possitis ea quae sunt vitae necessaria, ut apud hostiles gentes fit ante earum conversionem) *pecuniam* (etiam aeneam) *in zonis vestris; non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam* (scil. baculum defensorium).

Quid est quod Christus Dominus tam absolutam rerum omnium expoliationem ab Apostolis exigit?

Praeter rationem humilitatis, quam ut praecipuam et magis intrinsecam in suis Exercitiis habet S. P., tres aliae huic suffragantur : 1ª est quod sic omni terreno affectu aeque ac sollicitudine expediti Apostoli, toti a Dei Providentia penderent, confidentes et securi, quod illi de omnibus necessariis abunde eis prospiceret; 2ª, quod sic Evangelio toti incumberent, atque ad illud praedicandum omnes cogitationes et curas converterent; 3ª, quia tanta illa rerum penuria illustre Gentibus omnibus exemplum darent, simplicitatis, sobrietatis, contemptus opum, sanctitatis exelsique ac caelestis animi; quo per hanc vitam adeo

angelicam, omnes in sui ac Dei amorem et et admirationem raperent. *Nihil enim,* ait Euthymius, *ita admirandos reddit, sicut vita frugalis, ac quibuslibet obviis contenta.* Utinam omnes missionarii aurea haec verba semper haberent ob oculos, et recogitarent quam misero cibo, potu, lecto, Sinarum et Indiarum missionarii contenti esse debeant et contenti sint! Incredibile est quantum et famae religiosi Ordinis et caelesti benedictioni noceat in missionariis amor cuticulae et mortificationis incuria. Quinam erant primitivi illi Societatis nostrae patres, qui numero paucissimi magnam Europae partem ab haeresi aut servarunt, aut vindicarunt; qui innumeras hominum turmas converterunt, qui Ecclesiam athleticis laboribus etiam in Tridentino Concilio juvarunt et recrearunt; qui tot barbaras gentes Christo aggregarunt? Quotiescumque nimirum illis licebat, cum mendicantibus in nosocomiis degentes, misere alebantur, pauperrime vestiebantur, dure se flagellabant, jejunabant, humillime et modeste incedebant, opprobria pro Christo expetebant, laboribus et fatigatione consumebantur.

Si absolutam paupertatem suis Apostolis Christus praescripsit, praescripsit pariter fidelibus ut de necessario cibo ac potu suis pas-

toribus providerent : *Dignus est enim operarius cibo suo;* utque id fiat, nunquam non curat providus Servator, ea tamen conditione, ut sui impositam sibi paupertatem observent. *Quando misi vos sine sacculo et pera, et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt : Nihil.*

Ut autem Apostoli paupertatem servarent, nec lautiora quaererent, jussit eos non mutare hospitium : *Nolite transire de domo in domum;* et : *Manducate quae apponuntur vobis* (Luc. x, 8), quod non significat : manducate et bibite omnia et ex omnibus quae apponuntur vobis; id enim esset mortificationi valedicere et gulae servire; sed de appositis ad manducandum et bibendum sitis contenti : *et ibi manete, donec exeatis e vico vel civitate.*

2. Modus praedicandi. Accedens ad civitatem, non sine prudentia Christi Apostolus praepropere praedicationem incipiat, sed : *In quamcumque autem civitatem, aut castellum intraveritis, interrogate quis in ea dignus sit, et ibi manete donec exeatis.* Exhibeat autem se cum humilitate et reverentia ministrum pacis : *Intrantes autem in domum, salutate eam, dicentes : Pax huic domui.*

Praemonet autem eos, rem non semper eis prosperam fore, et quid, si repellantur agen-

dum : *Et si fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam : si autem non fuerit digna, pax vestra revertetur ad vos* (scil. repulsam illam pacem non amittetis, sed aliis bonae voluntatis tradetis).

Ex sequentibus liquet quantae se maledictioni objiciant, qui gratiae vocationis et praedicationis resistunt : *Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros : exeuntes foras de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris* (scil. in testimonum inaniter peractae apud eos viae et laboris : seu ut testemini vos nil amplius, ne pulverem quidem, commune cum iis habituros; seu tandem ut pulvis testis sit eorum incredulitatis, impietatis et futurae in judicio condemnationis). Nam *Amen dico vobis : Tolerabilius erit terrae Sodomorum et Gomorrhaeorum in die judicii, quam illi civitati.* Graviora enim peccata sunt haeresis, impietas, infidelitas, sacrilegium, desperatio, odium et contemptus Dei, etc., quam luxuria.

Materiam autem praedicationis, pro tempore illo praeparationis, sic definit Jesus : *Euntes autem praedicate dicentes : Quia appropinquavit regnum caelorum.* Regnum caelorum dicitur in hac vita regnum Dei in animabus per gratiam, in altera vero aeterna beatitudo. Hinc intelligitur vixnon omnem praesentium etiam

missionum materiam in his verbis contineri. Finis enim hominis est ut sinat homo in se regnare Deum, et sic regnum caelorum post mortem obtineat; ad quod requiritur poenitentia, abnegatio vitiorum et rerum omnium quae a regno caelorum prohibent.

In fine colloquium, et *Pater noster*.

Decima dies

PRIMUM EXERCITIUM

De conversione Magdalenae

SCRIBIT LUC. 7, 3 SQQ.

En admirabilem evangelicae praedicationis fructum, magnae scilicet peccatricis conversionem, innumerabilium futurarum per verbum Dei conversionum primitias. Nunquam forte mirabilius alii quam Magdalenae appropinquavit regnum Christi, regnum Dei, regnum caelorum. Istam contemplationem post illam de praedicatione posuisse videtur S. P., ut Apostolus discat 1. de nemine esse desperandum; 2. Misericordiam Dei clementiamque nullum habere terminum; 3. Cum magna erga peccatores charitate esse procedendum; 4. Infinitam esse Jesu potentiam, quae a profun-

dissima peccatorum abysso ad apicem sanctitatis potest evehere.

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Erit hic, quomodo Magdalena intrat in domum Pharisaei, atque pedes Jesu rigat lacrymis, capillis tergit, osculatur, et ungit unguento; Christus autem eam defendit eique omnia peccata remittit.

Secundum praeambulum, compositio loci; erit videre domum Pharisaei, et in specie caenaculum mensamque convivii, et toros ita dispositos, ut convivarum capita essent mensae proxima, pedes autem versus exteriorem partem porrigerentur.

Tertium praeambulum, idem ac pro Incarnatione.

Primum punctum. — *Primo,* ait S. P., *intrat Magdalena, ubi Christus Dominus noster accumbit mensae in domo Pharisaei, quae ferebat vas alabastri, plenum unguento.*

Luc. ait, *Rogabat autem illum quidam de Pharisaeis ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisaei discubuit. Et ecce mulier, quae erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod accubuisset in domo Pharisaei, attulit alabastrum unguenti.*

Quamvis Pharisaei essent Christo inimicissimi et futuri necis ejus auctores, non recusat

Jesus apud unum ex illis manducare, omnibus videlicet omnia factus, ut omnes Deo et caelo lucrifaceret; sicque Apostolos exemplo suo docuit neminem, etiam impiissimum, sine lumine, sine exhortatione esse desperate relinquendum. Censent auctores Simonem illum postmodum fidem Christi esse secutum.

Contemplare, in caenaculo Pharisaei, mensae accumbentes cum Simone, invitatos alios Pharisaeos et Christum Dominum nostrum. Ex Pharisaeis alii Christum cum malitia, alii cum curiositate intuentur. Jesus autem de cibis non curans, ac de salute discumbentium unice sollicitus, magnam atque inexspectatam misericordiae parabat in corde suo manifestationem, cum ecce venientem ad se Magdalenam respicit.

Et ecce : quae vox magnum, mirabile et insolitum quid annuntiat, *et ecce* non invitata irruit mulier in locum convivii, *mulier in civitate peccatrix,* meretrix nempe, non publica quia honorabilis erat familiae, sed saltem infamis in tota civitate, utpote quae multos ad turpem consuetudinem allexerat. Contemplabor subitam convivarum omnium admirationem, stuporem, et ex parte Pharisaeorum varias malitiae vel horroris significationes. Ingrediar Cor Jesu, ut videam quid corde sen-

tiat ille qui novit omnia, cum poenitens et amans cor Mariae Magdalenae intuetur.

Contemplare Magdalenam unguento pretioso plenum alabastrum ferentem, et recta ad pedes Dilecti sui irruentem. Audivit enim Jesum, quem quaerebat, apud Simonem convivari : *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi cubet in meridie? — Dum esset rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suavitatis* (CANT. 1, 7, 12.)

Prima fuit, juxta S. Chrysost., et sola quae, non sanitatis, sed veniae causa Christum adierit. Ipsa quasi cerva a Christo telo amoris sagittata, ad eum qui illam sauciarat cucurrit. Sane audierat : *Ecce Agnus Dei qui tollit peccatum mundi :* audierat : *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos,* et majestate, dulcedine, misericordiae cordis Jesu illecebris devicta, relicto peccato, Jesum erat secuta : qui intus ei suorum peccatorum turpitudinem revelans, ipsam incredibili dolore repleverat. Unde mulier illa in civitate peccatrix, pudore suffusa et transfixa dolore quod adeo benignum Christum, quem ut Deum agnoverat, tantopere offendisset, finem convivii exspectare non potuit, sed irruit in caenaculum. Certe jam erat justificata, nam *charitas cooperit multitudinem peccatorum;* inde non ve-

niae necessitate, sed amore ac dolore impellebatur.

Secundum punctum. — *Secundo,* ait S. P. *stans pone Dominum circa pedes ejus, lacrymis coepit eos rigare, et capillis capitis sui eos tergebat, et osculabatur, et unguento eos ungebat.*

Ut exercitantem, in prima hebdomada, ad perfectum expurget, incipit S. P. a pudore et confusione, ut in conspectu infinitae Dei sanctitatis agnoscens esse se turpissimam corruptionem, atque ipsis daemoniis et nonnulla ex parte damnatis sceleratiorem, deprimat se, se contemnat, et omni contemptu dignum se reputet et abhorreat. Sicut enim *initium omnis peccati superbia est,* ita initium est omnis verae conversionis voluntaria humiliatio. Ubi autem ad hanc humiliationem exercitantem S. P. adduxit, profundioris adhuc confusionis et pudoris gratia, jubet eum, non jam cum daemoniis aut reprobis comparare se, sed et cum Deo, ut non tantum de sua in Deum rebellione erubescat, sed ut considerans se erga Deum infinitae perfectionis, infinitae sanctitatis, infinitae bonitatis, rebellem, ingratum, crudelem, et Christi pro eo in cruce morientis tortorem, intensum ex humilitate et amore dolorem continuo crescentem concipiat, prorumpat in lacrymas, et in seipsum excandes-

cens, omni se vituperio ac supplicio dignum existimet ac intime sentiat. Hinc magnus in misericordem Jesum crucifixum amor, et ad omnia pro Christo tam clemente sive facienda sive toleranda paratus animus. *Percontari ex me quid egerim ego pro Christo, quid agam pro Christo, quid agere debeam pro Christo.* Quid ergo proposuit in prima hebdomada S. Ignatius, nisi et quod ipsemet Manresae praestitit, et facientem hoc in mysterio Magdalenam exhibet?

Irruens illa peccatrix in domum convivii, ut infamia sua peccata coram Pharisaeis et aliis convivis confiteatur et defleat, heroice se humiliat ac durissimo contemptui se devovet. Ast incredibiliter Jesum amans, et propter Jesum offensum dolens, vituperia illa nil esse ducit, ut Dilecto suo et dolorem et amorem pro peccatis suis rependat.

Contemplare eam, non coram Jesu, cujus intuitu se turpissimam peccatricem indignam judicat, sed retro et ad pedes ejus stantem, scilicet non accumbentem mensae sicut convivae, sed inclinatam, vel potius genibus innixam. *Et stans retro secus pedes ejus :* illico, viso Jesu et tactis ejus pedibus, vis lacrymarum ex ejus oculis, tanquam ex duobus aquarum fontibus, tanta erumpit, ut iis pedes pulvere

ex itinere conspersos lavare possit : *lacrymis coepit rigare pedes ejus :* quae scilicet oculis ad seducendum usa fuerat, ex iis rivulos jam ad lavandum Christum adhibet; quae crines suos ad elicienda peccata composuerat, eis nunc ad lutum ex pulvere et lacrymis concretum cum ingenti sui humiliatione abstergendum utitur. *Et capillis capitis sui tergebat.*

Inde vero ad ardentissimi amoris significationem veniens, pedes Jesu *osculabatur,* et alabastrum pretioso unguento plenum assumens, eos *unguento ungebat,* ita ut totum caenaculum suavissima fragrantia redoleret.

Intra in amantissimum et dulcissimum Cor Jesu, et vide quid coram tanta humilitate, tanto dolore, tanto amore, sentiat.

« Cogitanti mihi, ait S. Greg. hom. 33, de » Mariae poenitentia, flere magis libet, quam » aliquid dicere. Cujus enim vel saxeum pec- » tus, illae hujus peccatricis lacrymae ad » exemplum poenitendi non emolliant? Con- » sideravit namque quid fecit, et noluit mo- » derari quid faceret; super convivantes in- » gressa est; non jussa venit, inter epulantes » lacrymas obtulit. Discite quo dolore ardet, » quae flere et inter epulas non erubescit. »

Ad quam autem sanctitatem, talis poenitentia conducat, audi ex S. Chryst. hom. in

hunc locum Matthaei : « Sic et ista in Evan-
» gelio meretrix virgines quoque ipsas hones-
» tate superavit, et incredibilis in Christum
» amoris igne succensa, et a maximis peccato-
» rum sordibus largissimo lacrymarum fonte
» purgata. Quia enim perfecte incaluerat poe-
» nitendo, bacchari (ut ita dicam) coepit desi-
» derio exagitata Christi; siquidem continuo
» et crines resolvit, et sanctos pedes uberrimis
» diluens lacrymis, ac propriis extergens ca-
» pillis, pretioso rigavit unguento. Et haec
» quidem extrinsecus cuncta faciebat; ea vero
» quae in secreto mentis agitabat, multo his
» erant ignitiora, multoque majora, quae ipse
» tantummodo Deus cernebat. »

Neque illa die tantum sua peccata ita Magdalena deflevit, sed, sicut et Petrus et Augustinus et Ignatius postea fecere, delicta sua ad mortem usque cum crescente semper humilitate et amore, lacrymis et poenitentia prosecuta est; quo nihil ad contemplationem et ad magnam sanctitatem aptius.

Tertium punctum. — *Tertio,* ait S. P., *cum Pharisaeus accusasset Magdalenam, Christus loquitur in ejus defensionem, dicens : (Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Et dixit ad mulierem : Fides tua te salvam fecit : vade in pace.)*

Vidimus ea quae boni sunt spiritus; quae autem sunt mali ex Pharisaeis continuo jam apparent.

Videns autem Pharisaeus, ait Luc., *qui vocaverat eum, ait intra se* (sed Jesus interiores ejus cogitationes divina sua scientia perspectas habebat) *dicens : hic si esset Propheta, sciret utique quae, et qualis* (sic horrorem suum exaggerat) *est mulier, quae tangit eum : quia peccatrix est.* Sic falso argumentatur malus spiritus. Propheta, utpote homo Dei et mundus corde, sinere non posset tangi se a peccatrice plena immunditiae atque infamiae : ergo nec propheta est Jesus, nedum sit Deus. At Christus non venerat, ut sicut superbi Pharisaei, diceret : *Noli me tangere,* sed ut tangeret et sanaret omnes infirmitates; neque amplius Magdalena, cum tetigit Christum, immunda erat, sed per contritionem perfectam erat mundissima. « Offendiculum passus, ait Euthymius, haec » dicebat Pharisaeus, ignorans quod, cum » Deus esset, propter peccatores homo factus » erat. »

Ostendit Christus, secretas Pharisaei cogitationes aperiendo, esse se Deum; eum autem a quo fuerat invitatus, non acerbe, etsi superbum, sed magna cum prudentia, urbanitate et charitate confutat per parabolam : *Et res-*

pondens (cogitationi Simonis, nam nihil hic verbo protulerat) *Jesus, dixit ad illum : Simon, habeo tibi aliquid dicere.* Sic comiter pro circumstantiis loquitur Jesus, et cum amica familiaritate, ut ne invitator ejus offendatur. *At ille ait : Magister, dic. — Duo debitores erant cuidam foeneratori : unus debebat denarios quingentos, et alius quinquaginta. Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque. Quis ergo eum plus diligit?* Haec prudentia illa est, quam et commendavit Christus, et cum magna charitate voluit semper esse conjunctam. Non enim suspicabatur Pharisaeus, et innotescere Christo id quod intus tantum cogitasset, et comparationem ipsummet inter et Magdalenam fore instituendam; igitur secure respondit : *Magister, dic,* nec laqueum vidit. *Respondens Simon dixit : Aestimo quia is, cui plus donavit. At ille dixit ei : Recte judicasti.* Laudatur quia recte respondit, et re quidem vera, ad quaestionem *Quis ergo eum plus diligit,* non poterat aliter respondere. Debuit enim ille, cui remittuntur quingenti denarii majorem amorem et majorem benevolentiam erga foeneratorem exhibuisse, ut tanta pecunia ei remitteretur, quam necesse fuit ad quinquagintorum denariorum remissionem. Sicut David non prospexerat quo tenderet Prophetae Nathan parabola, ita

nec Simon applicationem parabolae Christi prospexit, et multo minus adhuc postponendum fore se peccatrici Magdalenae est suspicatus. *Et conversus ad mulierem, dixit Simoni : Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti :* (quod iis quos et invitant et amant praestare homines solent) : *haec autem* (non aqua, sed lacrymis) *rigavit pedes meos et capillis suis tersit. Osculum mihi non dedisti : haec autem ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos. Oleo caput meum non unxisti : haec autem unguento unxit pedes meos.* Scilicet tu ex iis quae amatis hospitibus dari solent nullum amicitiae signum mihi dedisti : haec autem, non ordinaria illa dilectionis signa dedit, sed rarissima et mirabilia, idque non in sua, sed in aliena domo, in tua. Ne mireris ergo si ei quae me tantopere dilexit ac diligit, multa remitto, tibi autem nihil. *Propter quod dico tibi : Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum :* Ubi autem Simoni erat applicatio facienda minime jucunda, Christus Dominus, ut ei ansam offensionis non praebeat, exquisitissime procedit, et generaliter tantum facit applicationem : *Cui autem minus remittitur, minus diligit ;* non dicit : cui nil remittitur, non diligit; ipse sibi hoc dicat Pharisaeus. Mirabile hic exemplum Christus reliquit om-

nium aetatum apostolis; ut reprehendant quidem, ubi Dei gloria et animarum bonum id exigit, sed cum charitate, cum reverentia et vera urbanitate id semper faciant.

Dixit ad illam : Remittuntur tibi peccata : peccata quidem ex eo momento quo dolere de iis ex amore coeperat, remissa fuerant, sed hic vel hanc ei remissionem revelat, vel rursum eam absolvit, sicut sacerdos de vitae praeteritae peccatis jam ante saepius remissis absolvit iterum.

Et coeperunt, qui simul accumbebant, dicere (non Christo, sed) *intra se : Quis est hic, qui etiam peccata dimittit ?*

Dixit autem (conscius eorum quae intra se ima voce dicebant) *ad mulierem : Fides tua te salvam fecit, vade in pace,* fides scil. charitate formata te liberam a peccatis, et, si perseveres, salvandam fecit.

Vade in pace : fructus enim remissionis peccatorum est pax, serenitas, hilaritas et gaudium Spiritus Sancti, quod exsuperat omnem sensum. Cum Christus omnes quos sanavit perfecte sanaverit, certum est eum cum perfecta sanatione et perfectam pacem dedisse Magdalenae. Pulcherrime hic ait Corn. a Sap.

« Christus e mente Magdalenae omnes vi-
» tiorum habitus abolevit; abolevit memoriam

» praeteritarum turpium voluptatum, propen-
» siones ad superbiam, luxuriam et gulam,
» tentationes carnis, plenamque menti pacem
» reddidit. Secundo, indidit ei perfectam cas-
» titatem, humilitatem, poenitentiam; tertio,
» plenum contemptum rerum omnium mun-
» danarum, et desiderium caelestium; quarto,
» ardentissimum Christi amorem, ut se et sua
» omnia Christi obsequio dedicaret. Quocirca
» ipsa illico Christum assidue castella obeun-
» tem et praedicantem magno labore et ala-
» critate pedibus incedens ubique secuta est,
» eumque cum Apostolis, suis opibus aluit;
» praedicationi ejus penitus intenta, curam fa-
» miliae sorori suae Marthae resignavit. Hinc
» et cruci Christi constanter adstitit, viditque
» Christum sanguine suo lavantem peccata,
» quae ipsa jam lacrymis suis laverat. Quo-
» circa magis in ejus amorem exarsit, et in
» desertum secedens, totam se ejus vitae, pas-
» sioni, resurrectioni contemplandae dedit, ac
» tota in Christum absorpta vitam egit cae-
» lestem magis quam terrestrem. »

In fine colloquium, et *Pater Noster*.

SECUNDUM EXERCITIUM

Quomodo Christus Dominus noster dedit ad manducandum quinque millibus hominum

SCRIBUNT MATT. 14, MARC. 6, LUC. 9, JO. 6

Primum praeambulum, historia. Erit hic, quomodo vespere in deserto discipuli rogaverunt Christum, ut dimitteret turbas; Christus autem jussit afferri panes, quos benedixit, fregit, ac tradidit discipulis plebi distribuendos. Manducaverunt omnes, et cum satiati essent, remanserunt duodecim cophini pleni fragmentorum.

Secundum praeambulum, compositio loci. Erit hic videre desertum.

Tertium praeambulum idem ac pro Incarnatione.

Primum punctum. — *Primo,* ait S. P., *Discipuli, cum jam sero fieret, rogant Christum, ut dimittat multitudinem hominum, qui cum ipso erant.*

Ubi Jesus, qui super mortuum Lazarum flevit, audivit occisum ab Herode dilectum Praecursorem suum Joannem Baptistam, relicta turba, ascendit in navem, ut in ea iret recta in desertum cum Discipulis suis. Non

transfretavit; nam desertum illud in eodem erat littore; via autem pedestris multo longior fuisset, utpote valde flexuosa. Contemplabor eum in navi ac deinde in deserto tristem propter abominabile scelus Herodis et propter mortem Joannis.

Contemplabor immensam turbam, quae propter miracula, beneficia, et divinam Jesu sanctitatem, ex omnibus civitatibus affluxit; videntes autem Christum navi ad desertum properantem, eum pedibus sequuntur. *Et cum audissent turbae, secutae sunt eum pedestres de civitatibus.* Fugiebat plausus Jesus, et contemplatione ac solitudine delectabatur. Sic humiles sint praedicatores, et orationi in solitudine vacent; et quo magis a turbis recesserint ut cum Deo fabulentur, eo etiam magis eos colet ac requiret mundus, utpote sanctos atque ideo animabus juvandis aptiores.

Contemplare nunc Cor Jesu spectaculo tot millium hominum se in desertum cum tanta fatigatione et fiducia sequentium intime commotum; omnes enim fere pauperes erant ac simplices : tales amat Jesus; immo et multi inter eos infirmi et languidi conspiciebantur : *Et exiens* (charitate ductus ex sua solitudine et oratione) *vidit turbam multam, et misertus est eis :* vide nunc tenerum amantissimi Cordis in

pauperes amorem : *quia erant sicut oves non habentes pastorem : Misereor super turbam :* Scribae quidem nomine erant pastores, sed re vel lupi vel mercenarii : iis non omnino absimiles dicendi sunt isti pastores animarum et praedicatores, qui divitibus ac nobilibus obsequiose serviunt, de plebe autem ac de fabris operariis erubescentes, eos, utpote de turba parum solliciti, aliis curandos relinquunt aut simpliciter negligunt. De Christo autem, et de iis discipulis qui Christi sunt, praedictum est : *Evangelizare pauperibus misit me.* — Quam eheu! saepe dicendum est : *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.*

Non talis est bonus ille Pastor, qui de caelo venit, ut perditam oviculam quaereret ac pro ea poneret animam suam. *Curavit omnes languidos eorum* Jesus; quo facto, *coepit illos docere multa.*

Sermonem produxit Christus ad finem usque diei, ut magnum multiplicationis panum miraculum pararet ac mirabilius redderet.

Compassione moti, ad exemplum Domini sui, discipuli accesserunt, utpote familiares, ad Jesum. *Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes : Desertus est locus, et hora jam praeteriit : dimitte turbas, ut euntes in castella, emant sibi escas.* Respondit Jesus, mi-

raculum parans : *Non habent necesse ire : date illis vos manducare.*

Et dixerunt : Euntes emamus ducentis denariis panes, et dabimus illis manducare.

Cum sublevasset ergo oculos Jesus, et vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum (quem multum amabat Jesus, et cujus simplicitate delectabatur) : *Unde ememus panes ut manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum :* (O stupendam Dei cum hominibus ambulantis familiaritatem!) *Ipse enim sciebat quid esset facturus. Respondit ei Philippus : Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat.*

Erant autem fere viri quinque millia, exceptis mulieribus et parvulis. — Et dicit eis : Quot panes habetis? Ite et videte. Volebat enim constare et de numero hominum et de numero panum, ut et de ingenti miraculo constaret. Iverunt igitur discipuli et viderunt. Reversus autem Andreas dixit : *Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos et duos pisces; sed quid haec inter tantos?*

Ex his appa et quantae esset paupertatis mensa Christi, et Apostolorum et turbae; nil enim praeter hordeaceos panes, pisces coctos et fontium aquam habebant.

Secundum punctum. — *Secundo,* ait S. P.,

Christus Dominus noster mandavit (Discipulis) ut sibi afferrent panes, et jussit ut (turbae) discumberent, et benedixit, et fregit, et dedit Discipulis suis panes illos, et Discipuli multitudini.

Evangelistae dicunt : *Qui ait eis : Afferte mihi illos huc,* scilicet quinque panes et duos pisces. *Et praecepit illis ut accumbere facerent omnes secundum contubernia super viride foenum. Et discubuerunt in partes per centenos et quinquagenos.*

Contemplare multitudinem tantam cum humilitate et simplicitate Apostolis obedientem; non ita fecissent Scribae et Pharisaei; turba autem humilis est, et per humilitatem obtinet miracula. *Confiteor tibi, Pater, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Verum non in turba tantum, sed et in Apostolis, admirare fidem. Nesciunt intentionem Christi, sciunt autem omnes quinque tantum panes et duos pisces adesse; nihilominus, quamvis sint universi numero forte septem vel octo millia, accumbunt manducaturi. Quantum talis fiducia Deum honorat! Quaerebat turba illa regnum Dei, de ceteris Deus ei providebat : *Vos nolite quaerere quid manducetis, aut quid bibatis... Pater vester scit quoniam his indigetis. Verumtamen quaerite primum regnum Dei et justitiam ejus : et haec omnia adjicientur vobis.* (Luc. 12, 29, 59.

Contemplare nunc Jesum, qua hominem, humiliantem se coram aeterno Patre suo : *Et acceptis quinque panibus, intuens in caelum, benedixit, et fregit panes, et dedit discipulis suis, ut ponerent ante eos : et duos pisces divisit omnibus.*

Intuens in caelum, scil. ad Patrem a quo omnia creata sunt et nobis ministrantur; sic Christus nos docuit ante omnem comestionem mentem nostram esse in caelum attollendam, ut ne carnaliter tantum vescamur, sed et spiritualiter; Deo item esse benedicendum, tum ut amemus Patrem qui ita nobis de necessariis providet, tum ut actum illum animalem ad Dei gloriam referamus. *Sive manducatis, sive bibitis,... omnia in gloriam Dei facite* (1. Cor. 10, 31).

Christus Apostolis fractos a se panes porrigebat, quasi semina a se sanctificata, quae in manibus ejus et in manibus Apostolorum continuo multiplicabantur : « Unde, ait S. » Aug. tract. 24, in Jo., multiplicat (Deus) » de paucis granis segetes, inde in manibus » suis multiplicavit panes. Potestas enim erat » in manibus Christi. Panes enim illi quin- » que quasi semina erant, non quidem terrae » mandata, sed ab eo qui terram fecit multi- » plicata. »

Haec panum multiplicatio alterius infinite altioris ac summe divinae multiplicationis figura, symbolum ac praeludium fuit, multiplicationis videlicet Eucharisticae, in qua Christus ipse, qui panis vivus est de caelo descendens, se ipsum quasi infinite multiplicat. Hinc S. Joannes, ubi panum multiplicationem enarravit, continuo Christum SS. Eucharistiae mysterium promittentem inducit : *Amen, amen dico vobis : quaeritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis et saturati estis. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam, quem Filius hominis dabit vobis... Ego sum panis vitae.*

Hinc et modus ipse in multiplicatione panum a Christo servatus figura fuit illius quem in instituendo SS. Sacramento adhibuit. In ultima enim Caena, *accepto pane gratias egit, benedixit, et fregit, et dedit eis dicens : Hoc est corpus meum quod vobis tradetur;* et eamdem multiplicandi se ipsum facultatem Apostolis suis tradidit dicens : *Hoc facite in meam commemorationem.* O infiniti amoris, simul et fidei Mysterium!

Tertium punctum. — *Tertio,* ait S. P., *(Manducaverunt et saturati sunt, et tulerunt reliquias duodecim cophinos).*

Contemplare et in turba et in Apostolis ad-

mirationis, stuporis, gaudii et exsultationis sensus, dum mirabilem illam cernunt panum multiplicationem. Neque communis probabiliter fuit panis ille miraculosus; ei enim Jesus, cum opera divina perfecta sint, et exquisitum saporem, et non communem nutriendi, roborandi et exhilarandi vim indidisse putandus est. Quanto magis Pani Eucharistico illa indidit!

Dixerat Philippus : *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat.* Et ecce ex quinque tantum panibus tot millia hominum *manducaverunt et saturati sunt.*

Neque hoc solum : *ut autem impleti sunt, dixit* (Jesus) *discipulis suis : Colligite quae superaverunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quae superfuerunt his, qui manducaverant.* Nec panum tantum reliquiae fuerunt, sed et duorum piscium; *et de piscibus,* ait Marcus.

Quod intenderat Jesus, ad animarum salutem, scil. ut in suam Divinitatem turbae crederent, hoc tanto miraculo evenit : *Illi ergo homines, cum vidissent quod Jesus fecisset signum, dicebant : Quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum.*

Quid autem humillimus Jesus? *Jesus autem, cum cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.*

In fine colloquium, et *Pater noster.*

TERTIUM EXERCITIUM

De Transfiguratione Christi

SCRIBIT S. MATT. C. 17. — MARC. 9, LUC. 9.

Ad plenam et intimam Domini nostri cognitionem duo requiruntur : scil. sensus intimus, tum Divinitatis, tum humanitatis ejus. Ex cognitione Divinitatis oritur humilitatis et reverentiae sensus. Ex cognitione autem humanitatis, sensus oritur amoris erga eum qui cum *in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit etc.* Ut autem sensus illos in Exercitante provocet et foveat S. P. nunquam sine magna reverentia *Deum Dominum nostrum, Christum Dominum nostrum* nominat; ad idem conducunt miracula, quae contemplanda proponit, et super omnia praesens Tranfigurationis mysterium; quod quidem mysterium et alios valde optabiles effectus producit. In eo enim anima a terrenis elevatur ad caelestia,

et guttulam ex immenso futurae gloriae et felicitatis oceano degustans, ad dura et amara miserae vitae hujus ferenda certamina roboratur; sed multo magis insistit S. P. cognitioni Jesu, quatenus homo reparator est : in Divinitate sua infinite est amabilis, sed non divine imitabilis; imitabilis autem est in sanctissima sua Humanitate; ideo S. Ignatius Dominum semper mihi proponit, *qui pro me factus est homo,* non solum ut eum magis amem, sed ut eum, quod caput rei est, ex amore sequar : quam quidem conclusionem, et in hujus contemplationis puncto secundo non omittet. Omnia igitur in mente S. Patris ad hoc unicum referuntur : *Exinanivit semetipsum... humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Erit hic, quomodo Christus Dominus coram Petro, Jacobo et Joanne in monte Thabor transfiguratus est, et locutus ibidem cum Moyse et Elia; dein vox Dei Patris audita est : *hic est Filius meus dilectus.*

Secundum praeambulum, compositio loci. Erit hic videre altum illum montem Thabor, et solitariam illius montis partem, in qua transfiguratus est Jesus.

Tertium praeambulum, idem quod in mysterio Incarnationis.

Primum punctum. — *Primo,* ait S. P., *assumens comites Christus Dominus noster dilectos suos discipulos, Petrum, Jacobum, et Joannem, transfiguratus est, et resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus sicut nix.*

Diebus sex ante suam transfigurationem, et postquam Petrus, dicendo : *Tu es Christus, Filius Dei vivi,* Divinitatem Jesu tam praeclare confessus fuerat, continuo Dominus Apostolis suam passionem et mortem praedixit : convocata dein turba, de abnegatione et de ferenda cruce disseruit, ac tandem suam praenuntiavit transfigurationem. *Amen dico vobis, quia sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem donec videant regnum in virtute* (Luc. 8).

Ex his conjicitur cur voluerit Christus transfigurari ; videlicet : 1. Ut ostenderet Apostolis sub velo humanitatis suae latere Divinitatem : 2. Ut ne scandalizarentur, videntes postmodum eum in cruce mediis in opprobriis morientem. 3. Ut in Apostolis et in omnibus fidelibus fidem, spem, animum et zelum, spe talis gloriae ad ferendas pro Evangelio cruces quascumque, excitaret. De hac re tractans S. Chrysostomus ait minimum Beatum in caelo majorem habere claritatem et gloriam ea quam

Christus in transfiguratione exhibuit. Unde Franciscus dictitabat : *Tanta est gloria quam expecto, ut omnis me poena delectet.*

Testes autem suae gloriae tres tantum elegit ex praecipuis Apostolis Petrum, Jacobum et Joannem, quos et agoniae suae testes erat pariter electurus. Donorum quippe suorum Deus Dominus est; atque ad sublimiora quos vult praeordinat. Andream quem intime diligebat et a quo similiter amabatur, quique Petri frater erat, reliquit.

Lucas ait : *Assumpsit Jesus Petrum et Jacobum, et Joannem, et ascendit in montem ut oraret. Et facta est, dum oraret, species vultus ejus altera : et vestitus ejus albus et refulgens.*

Ut oraret, et *dum oraret,* utilissimum, de quo solus loquitur Lucas, continet documentum, quo innotescit non nisi in oratione animam transfigurari. In oratione enim anima 1. lumen a Deo accipit, ut et Deum et seipsam cognoscat, 2. supra creata omnia et supra seipsam elevatur ad Deum, indeque terrena omnia despicit. Quam sordet tellus, exclamabat S. P. N., *cum caelum aspicio!* 4. Discit ferre mala quaecumque : — *Non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis,* 5. unit se Deo : *Qui autem adhaeret Deo, unus spiritus est.* (1. Cor. 6, 17). Per hanc

unionem vix non quotidie S. P. in celebratione Missae et in gratiarum actione totus ignescebat et quasi transfigurabatur.

Contemplare Jesum, tantae rei quam facturus erat conscium, in montem Thabor cum *dilectis* suis tribus discipulis, non sine magna, propter altitudinem montis, fatigatione ascendentem, eosque cum humili reverentia sequere.

Duxit illos, ait Marcus, *in montem excelsum seorsum solos, et transfiguratus est coram ipsis* (dum oraret). *Et resplenduit facies ejus sicut sol, ait* Matt. Et, sec. Marc., *vestimenta ejus facta sunt splendentia, et candida nimis, sicut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere.*

Interea dum Jesus orabat atque ita transfigurabatur, *Petrus, et qui cum illo erant, gravati erant somno,* ait Lucas. Quot ex nobis, etiam non ita fatigati, similiter sunt in oratione gravati et somnolentes! Christus tamen transfiguratur, sed sopiti nil videmus.

Quantus autem trium Apostolorum stupor et ecstasis, cum *evigilantes viderunt majestatem ejus!*

Resplenduit facies ejus; nec facies ejus tantum, sed et totum corpus. Nam propter unionem hypostaticam, non solum anima Christi, sed et corpus ejus jus ad illam gloriam habe-

bat; nec in transfiguratione miraculum fuit, quia id naturaliter semper fieri debuisset : sed in eo erat miraculum quod in anima debitam corpori suo sanctissimo gloriam, extra transfigurationem Christus semper reprimeret, in eaque absconditam, in Passione maxime, ut ait S. P. N. contineret : secus enim ea quae pro nobis pati debuit, pati non potuisset. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent.* (1 Cor. 2, 8).

Vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix, neque alba solum, sed et splendentia et radiantia; nam Marcus ait : *Splendentia et candida nimis velut nix.* Candida igitur fuere, sed candore tanto etiam supernaturali, ut neque imagine, neque verbo exprimi possit : *candida nimis;* et splendentia per splendorem qui ex facie et carne Christi eradians in illa diffundebatur. Inde Lucas ait : *Et vestitus ejus albus et refulgens,* scil. effulgurans, seu radios instar fulguris evibrans.

Contemplare Petrum, Jacobum et Joannem expergiscentes et illico Jesum in gloriosa illa claritate cernentes. Agnoscebant enim eum; nam facies ejus formam suam non amiserat; sed quantus eorum stupor fuit! quam deliciosa ecstasis! Quid tamen claritas illa, si cum ea comparetur quam Jesus habet in caelo!

Christus olim S. Teresiae solam manum suam conspiciendam porrexit ; tantae autem pulchritudinis, tanti splendoris manus illa erat, tantaque in ea spectanda caelestis delectatio, ut seraphica Christi sponsa in ecstasim illico inciderit.

Quanta debet esse caelestium civium ecstasis, qui Christum in tota sua gloria, qui Deum, oculo gloriae praediti, facie ad faciem contemplantur! « O supernae civitatis mansio » beatissima! O dies aeternitatis clarissima, » quam nox non obscurat, sed summa veritas » semper irradiat! Dies semper laeta, semper » secura, et nunquam statum mutans in con- » traria! O utinam dies illa illuxisset, et » cuncta haec temporalia finem accepissent! » Lucet quidem Sanctis perpetua claritate » splendida, sed non nisi a longe et per spe- » culum peregrinantibus in terra. Norunt caeli » cives quam gaudiosa sit illa : gemunt exules » filii Evae quod amara et taediosa sit ista. » Thom. K. III, 48. *Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum : quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* (Ps. 41, 3).

Secundum punctum. — *Secundo,* ait S. P., *loquebatur cum Moyse et Elia.*

Cum Apostoli contemplarentur transfiguratum Jesum, nova facta apparitio est, Moysi

scilicet et Eliae ad latera Christi. *Et apparuit illis,* ait S. Marcus, *Elias cum Moyse; et erant loquentes cum Jesu.* Lucas autem non solum indicat Apostolos vidisse Moysen et Eliam, postquam Jesum transfiguratum viderant, sed et docet quid sermonis cum Jesu habuerint. *Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyses et Elias. Visi in majestate : et dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem.*

Cum Elias mortuus non sit, translatus est tunc ab angelo de loco suo ad latus Christi, anima autem Moysi ducta ad sepulchrum suum, corpus ad tempus resumpsit et translata similiter est ad latus alterum Christi. Electi illi duo fuerunt, ut de Messia perhiberent testimonium; Moyses quippe et populi Dei legislator et propheta ac figura fuit Christi Domini : Elias autem prophetarum princeps fuit simul ac zelator legis. Uterque vero *in majestate* visus est; quia sicut Christi transfigurati gloria ipsa ejus vestimenta transfiguraverat, ita et Eliam ac Moysen transfiguravit. Divina autem Jesu illuminatione infallibiliter et sine ulla dubitatione possibili agnoverunt Moysen et Eliam Apostoli.

Contemplare caeleste illud spectaculum, et considera quomodo Moyses et Elias adorant cum summa reverentia Filium Dei, Salvato-

ris amorem admirantur, et immenso in eum ardent amore. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret* (Is. 16).

Contemplare et Apostolos, singulos in specie cum propria sibi indole intuentes, extra se in ecstasim raptos, atque audientes quae dicunt cum Jesu Elias et Moyses : *Dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem,* de excessu, scil. de modo quo excessurus esset Jesus e vita, de passione nempe et morte in cruce, quae et alio modo excessus fuerunt, excessus opprobriorum et dolorum, excessus amoris tum in caena ultima, tum in passione; quibus excessibus adeo eramus indigni. *Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Meditare haec verba : *in finem...* et ama.

Cur autem in gloria mentio Passionis? quia adeo Christus nos dilexit ut nunquam, etiam in gloria, non haberet in mente, et plantatam in corde crucem, in qua pro nobis erat moriturus : *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum* (Luc. 22, 15); et : *Baptismo habeo baptizari; et quomodo coarctor donec perficiatur* (Luc. 12, 50). Deinde nos docere voluit spirituales ipsas consolationes eo referri debere, ut multa cum Christo et pro Christo patiamur, eamque futurae gloriae esse conditionem persuasum habeamus. Sicut oportuit Christum pati et

ita intrare in gloriam, ita et de membris dicendum est : *heredes quidem Dei, coheredes autem Christi :* SI TAMEN COMPATIMUR, *ut et conglorificemur*. Brevis haec vita, vapor ad modicum parens, ad patiendum datur; dabitur autem ad gaudendum, aeternitas.

S. Thom. 3ª part. quaest. 45. sex causas enumerat, ob quas Moses et Elias in transfiguratione apparuerunt : 1ª : Aliqui dicebant Christum esse Eliam, aut unum ex Prophetis. Jesus hic assumit Eliam, Prophetarum principem, ut appareat quantum servis suis superemineat Dominus. 2ª : Cum Moyses legem dederit, Elias autem gloriae Dei zelator fuerit, et nunc uterque Christo assistat, perfidi illi refelluntur Judaei, qui Christum accusabant quod legem solveret, quod blasphemaret et divinam sibi gloriam usurparet. 3ª : Ut ostenderet Christus habere se mortis et vitae potestatem, et esse se judicem vivorum et mortuorum; mortuum enim a quindecim saeculis Moysem, et viventem adhuc Eliam ad se vocabat. 4ª : Ut confirmaret ad passiones subeundas Apostolos, induxit homines qui pro Deo, sive coram Pharaone, sive coram Achab morti sese exposuerunt. 5ª : Volebat discipuli sui, et Moysis mansuetudinem, et zelum Eliae imitarentur. 6ª : Ut ostenderet per legem quam

dedit Moyses, et per Prophetas, quorum princeps fuit Elias, fuisse se praedicatum.

Tertium punctum. — *Tertio,* ait S. P., *dicente S. Petro ut facerent tria tabernacula, sonuit vox de caelo quae dicebat : (Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite). Quam vocem cum audissent discipuli ejus, prae timore ceciderunt in facies suas, et Christus Dominus noster tetigit eos, et dixit illis : (surgite, et nolite timere. Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat).*

S. Matt. ait : *Respondens autem Petrus, dixit ad Jesum : Domine, bonum est nos hic esse : si vis faciamus hic tria tabernacula : tibi unum, Moysi unum, et Eliae unum.* Ex simplici, ingenua et affectuosa sua indole, non raro Petrus, cordi suo magis quam rationi obsequens, ex impetu in affectus erumpebat sententiasque proferebat; nec inde minus a Christo, propter rectitudinem et bonitatem cordis, amabatur. Tunc igitur dixit : *Bonum est nos hic esse,* cum, juxta Lucam, Moyses et Elias in eo essent ut a Jesu discederent : *Et factum est, cum discederent ab illo.* Volebat enim eos retinere; ideo in simplicitate sua, sed, salva Jesu voluntate, ait : *si vis,* tria volebat erigere tabernacula, ut ibidem cum Jesu sedem figerent. Quantum Christo placet illa simplicitas!

Adeo erat tam dulci visione ebrius Petrus, ut quasi prae gaudio delirans in monte Thabor per reliquam vitam illa visione perfrui voluisset; sed, ut ait Marcus, *Non sciebat quid diceret; erant timore exterriti;* exterriti sane, nam sanctum horrorem supernaturales illae Dei apparitiones incutiunt, sed simul animam ineffabili gaudio perfundunt. *Non sciebat quid diceret,* quippe qui in multiplices incidebat errores : primo quidem putabat Christum, Moysen et Eliam tabernaculis indigere; secundo, volebat Christum in monte Thabor manere, nec redire ad alios discipulos et sic universale bonum omittere; tertio, quaerebat felicitatem in terra, quae locus exilii est et aerumnarum; quarto, avocabat Christum a praedicatione et passione, a quibus salus mundi pendebat; quinto, ordinem invertebat, gloriam volens ante laborem, et coronam ante certamen : *Oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam.* Verbo nondum sibi mortuus Petrus, quaerit adhuc seipsum, neque in quo verum suum bonum consistat adhuc intelligit; intelliget autem cum Spiritum Sanctum acceperit; tunc enim magis optabit mori in cruce pro Christo, quam cum Christo transfigurato gaudere; tunc Christi fidelibus dicet : *Communicantes Christi passionibus gaudete, ut et*

in revelatione gloriae ejus gaudeatis exsultantes! Petr. 4, 13. Sufficiebat ei in monte Thabor tantillam gloriae corporis Jesu partem contemplari, nec cogitabat de beatifica visione et possessione Divinitatis, quas Beatis in caelo Deus reservat : guttula felicitatis videbatur ei sufficere, cum Christus sui sanguinis effusione oceanum ei esset empturus : *inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis potabis eos* (Ps. 35, 9). Audi eum postea de pretio tribulationum et de caelesti gloria dicentem : *Qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam revelari in tempore novissimo; in quo exsultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus : ut probatio vestrae fidei multo pretiosior auro (quod per ignem probatur) inveniatur in laudem, et gloriam, et honorem in revelatione Jesu Christi* (1 Petr. 1, 5). Quantum igitur errant mercenarii illi, qui, ubi consolationes habent in monte Thabor, ferventes se in spiritualibus exercitiis exhibent; ast ubi tentationes ac desolationes oriuntur, omnia aut negligenter agunt, aut etiam prae taedio ac desidia omittunt! Non in consolatione, sed *in cruce salus.*

Non verbo respondit Christus Petro, sed facto : *Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos :* addit Lucas : *et timuerunt intran-*

tibus illis in nubem. Nubes illa, quae, sin minus Apostolos, saltem Christum, Moysen et Eliam complexa est, ampla fuit, utpote quae magnificam Patris in ea loquentis gloriam exprimeret : *voce delapsa,* ait Petrus in 2^da^ ep., *a magnifica gloria;* fuit et *lucida* non, ut in monte Sinai, ad terrorem injiciendum caliginosa. Nubes illa pro tabernaculis fuit, quae cogitabat Petrus.

Contemplare Apostolos propter divinam Majestatem territos, ac simul propter divinam gloriam caelesti gaudio perfusos; et re quidem vera, tota ibi sanctissima Trinitas, quantum ferre mortales oculi poterant, revelabatur; in nube spiritus, in voce Pater, in Christo transfigurato Dei Filius. In baptismate Jesu, cum hic humiliaret sese, et quasi peccatoris formam assumeret, eadem paterna vox eum affirmavit esse Deum, et Spiritus Sanctus sub forma columbae innocentiam ejus asseruit. In transfiguratione autem divinam Christi gloriam contestantur paterna vox, gloria Corporis Christi et lucida nebula. Nubes, erat Spiritus Sanctus, in nube autem Pater et Filius.

Et ecce vox de nube, dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui : ipsum audite. Recesserant, cum vox illa audita est,

Moyses et Elias, ut testimonium illud in solum Christum caderet.

Dilectus, quatenus Filius Dei est, infinite; quatenus et homo est, propter ejus et virtutes et amorem generis humani, prae dilectis omnibus supra modum dilectus. *In quo mihi bene complacui,* quia solus ille plenissimam et perfectissimam mei refert imaginem : quia nemo nisi per eum et in eo mihi placere potest. Ex quo apparet quam Deo gratum et gloriosum, quam ad placandum et impetrandum efficax sit Christum ejusque virtutes, merita et divinitatem, maxime in divino altaris Sacrificio aeterno offerre Patri.

Ipsum audite : abiit Moyses et transiit lex ejus, quae umbra et figura fuit; Christum jam audite. *Ipsum audite,* et quaecumque docuit credite et facite, quippe quae a Patre per Filium veniunt. Si igitur salvari volo, si ad perfectionem aspiro, doctrinam praesentium Exercitiorum, quae doctrinae Christi intima medulla sunt, quidquid sensus ac natura objiciant, generose amplectar et constanter tenebo. Et hic dicendum est : *Fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.* (Exod. 25, 40).

Vox illa Patris ad instar tonitrui, quamvis aliunde cum suavitate resonans, terrefecit

Apostolos quasi divinitate oppressos, eosque cum tremore adorantes prostravit in terram. Quid fiet in ultimo judicio, quando inter fulgura vox ista resonabit : *Recedite a me maledicti?* Et audientes discipuli, *ceciderunt in faciem suam, et timuerunt valde.* Utinam et nos in oratione aliquantulum saltem divino illo tremore coram infinita Dei Majestate corriperemur!

Et accessit Jesus et tetigit eos, dixitque eis : Surgite, et nolite timere. Levantes autem oculos, neminem viderunt, nisi solum Jesum, scil. qualem eum videre solebant, sine corporali gloria, sine nube, sine Moyse et Elia.

Cito transierat gaudium Transfigurationis : hinc discimus non esse in hac vita longas expectandas spirituales etiam consolationes : hic enim laborum et certaminum locus est; in caelo autem gaudia sine fine mansura.

Et descendentibus illis de monte, praecepit eis Jesus, dicens : Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis resurgat. Hoc quidem, primo, ex humilitate, secundo, ut ne ceteri discipuli inviderent; tertio, ut eos, qui speciales a Deo gratias essent accepturi, silentium doceret, nisi aut Dei gloria, aut obedientia aliud exigat.

In fine colloquium, et *Pater noster.*

In reliquis diei exercitiis, repetitio, vel repetitiones pro more, et applicatio sensuum.

Undecima dies

PRIMUM EXERCITIUM

De resurrectione Lazari

JOAN. II.

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Erit hic quomodo Christus, audito per nuntias sorores Mariam et Martham quod Lazarus aegrotaret ad mortem, duos dies expectavit antequam iret, quia volebat mortuum suscitare. Dein, postquam discipulis suis mortem Lazari nuntiasset, ivit ad domum Marthae et Mariae. Christo venienti occurrit Martha; tendit Jesus cum duabus sororibus et cum suis discipulis multisque aliis ad sepulchrum; ibi lacrymatur Jesus, dein suscitat Lazarum.

Secundum praeambulum, compositio loci. Erit hic videre viam quae dúcit in Bethaniam, domum Marthae, et locum sepulturae.

Tertium praeambulum, idem ac pro Incarnatione. Nulla forte aptior contemplatio est ad intimam bonitatis, misericordiae et teneritudinis Cordis Jesu cognitionem obtinendam.

Primum punctum. — *Primo,* ait S. P., *cer-*

tiorem faciunt Christum Dominum nostrum Martha et Maria de infirmitate Lazari; qua cognita, substitit per duos dies, ut miraculum esset evidentius.

S. Joannes sic narrat : *Erat autem quidam langueus Lazarus a Bethania, de castello Mariae et Marthae, sororis ejus (Maria autem erat, quae unxit Dominum unguento, et extersit pedes ejus capillis suis, cujus frater Lazarus infirmabatur;)* haec quidem praemittit Joannes, ut intelligamus resurrectionem Lazari precibus praesertim Magdalenae fuisse obtentam, utpote quae Christo tantopere erat devota. Ex sequentibus vide quam amicum sit Cor Jesu, et quantumque amet eos quos amare potest, ac quanta cum liberalitate erga eos agat qui devotione aut beneficiis eum sibi devinxerunt. Cum Maria et Martha Cor Jesu norint, et apud moribundum Lazarum retineantur, satis esse existimant, si per nuntios Jesum de infirmitate Lazari certiorem faciant. *Miserunt ergo sorores ejus ad eum, dicentes : Domine, ecce quem amas infirmatur.* Qua oratione quid fidelius, quid confidentius, quid amantius, quid efficacius? Non dicunt : veni, veni ocius, mors imminet. Ei enim qui amat haec non sunt necessaria : *ecce quem amas;* sufficit si sciat quod infirmetur.

Non respondet Jesus : venio; attamen, quam-

vis propositum suum sororibus non aperiat, satis dicit ut dicto ipsius credentes securae sint : *Audiens autem* (nec opus est Filio Dei ad sciendum ut audiat, sed exterius se ut Filium hominis gerebat). Audiens autem Jesus dixit eis : *Infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.* Haec verba satis indicant mortem quidem esse venturam : *glorificetur per eam;* ast mors non erit difinitiva : *non est ad mortem.* Sed ipsi ne suspicabantur quidem futuram resurrectionem. Sic securos Deus suos facit, sed in fide et probationibus.

Vide nunc quam tenere devotas sibi et ministris suis familias diligat : *Diligebat autem Jesus Martham, et sororem ejus Mariam, et Lazarum.* Nihilominus eos, eo ipso quod diligit, probationi subjicit, atque ita subjicit, ut, si non fuissent in fide amoris Christi roborati, de ejus amore, propter moram, dubitare coepissent : *Ut ergo audivit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus.* Dicit enim Deus in Apoc. III, 9. *Ego quos amo, arguo et castigo.*

Iter autem distulit Jesus, ut non sanaret aegrotum, sed ut mortuum et sepultum, et a quatriduo foetentem suscitaret, eoque miraculo omni exceptione majori suam Judaeis

patefaceret divinitatem, atque amicis suis Lazaro, Marthae et Mariae immensum, post probationem, afferret gaudium.

Deinde post haec dixit discipulis suis : Eamus in Judaeam iterum. Dicunt ei discipuli : Rabbi, nunc quaerebant te Judaei lapidare, et iterum vadis illuc? Respondit Jesus : Nonne duodecim sunt horae diei? scil. vitam suam diei comparat : durante vita quae ei a Patre data est, nil timendum habet, neque discipuli ejus, donec statutum mortis suae a Judaeis inferendae tempus veniat : *si quis ambulat in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt; si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non est in eo.* Sic praedicit mortem suam; et cum suam passionem incipiet, dicet Judaeis : *Haec est hora vestra, et potestas tenebrarum.*

Haec ait; et post haec dixit eis; Lazarus amicus noster dormit : sed vado, ut a somno excitem eum. Dixerunt ergo discipuli ejus : Domine, si dormit, salvus erit. Dixerat autem Jesus de morte ejus : illi autem putaverunt quia de dormitione somni ageret. Tunc ergo Jesus dixit eis manifeste : Lazarus mortuus est : Et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi, sed eamus ad eum.

Postquam Jesus divi namsuam scientiam aperuerat, Thomas, qui allegoriam duodecim horarum non intellexerat, suum erga Chris-

tum amorem egregie profitetur : *Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos : Eamus et nos, ut moriamur cum eo.* Exemplo suo, tempore passionis, docebit nos Jesus, quantum generosa ac sincera proposita alia sint ab exsecutione.

Secundum punctum. — *Secundo,* ait S. P., *antequam eum resuscitet, petit (exigit) ab una et ab altera ut credant, dicens : (Ego sum resurrectio et vita : Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet).*

Fidei quasi unice in hoc puncto S. P. insistit, quae sola miracula impetrat, ac totius est Religionis Christianae fundamentum. Hinc Christus eam indesinenter ab omnibus requirebat, eamque sine haesitatione firmissimam.

Venit itaque Jesus et invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem. (Erat autem, Bethania juxta Jerosolymam quasi stadiis quindecim). Multi autem ex Judaeis venerant ad Martham, et Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo. Ita et perfecte de morte Lazari constabat, et multi ex Judaeis futuri erant resurrectionis ejus ac divinitatis Christi testes.

Martha ergo, ut audivit quia Jesus venit, occurrit illi, quin cogitaret quidem prae gaudio videndi Christum de admonenda sorore sua : *Maria autem domi sedebat,* orationi, ut a con-

versione solebat, dedita. *Dixit ergo Martha ad Jesum : Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.* Non arguens de dilatione Christum haec dicit, cum eo ipso die, quo nuntius venerat ad Jesum, mortuus esset Lazarus, nec sine miraculo illo die iter novem leucarum Jesus facere potuisset; sed in genere dolens de absentia Jesu, dicit : *Si fuisses hic,* quasi diceret : Tam potens es apud Deum, et tantopere nos amas, ut impedivisses mortem. Ex quo patet Martham nondum habuisse Jesum ut Deum, et consequenter ut omniscium et per se omnipotentem. Secus enim eum et a longe invocasset absentem; habebat autem eum ut insignem prae ceteris Prophetam et magnum thaumaturgum. Hinc addit : *Sed et nunc scio quia quaecumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus.*

Videns ejus fiduciam, simplicitatem et amorem, *dicit illi Jesus; Resurget frater tuus.* Ast iterum in sua simplicitate, *dicit ei Martha : Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die :* Et ecce Jesus, cujus *cum simplicibus sermocinatio est,* elevat Martham ad cognitionem et fidem divinitatis suae : *Dixit ei Jesus : Ego sum resurrectio et vita :* scil. egomet, non Propheta qui a Deo obtineat, sed Deus ipse sum, auctor vitae et mortis : *qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet,* scil. per meam omnipotentiam, post

dormitionem hujus aevi vitam denuo accipiet : *Et omnis qui vivit* vita mortali, *et, credit in me, non morietur in aeternum,* quippe qui in anima sua, quae non moritur, vita gratiae vivet; post hanc autem vitam non morietur morte aeterna, sed in corpore redivivo et in anima in aeternum gloriosus vivet.

Tunc Christus, ut ait S. P., fidem exigit a Martha, quam fidem in ejus anima per divinam suam illuminationem et gratiam mirabiliter operatur : *Credis hoc? Ait illi : Utique Domine, ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.* O sublime momentum illi simile, quo Princeps Apostolorum respondit interroganti Christo : *quem vos me esse dicitis ? : Tu es Christus Filius Dei vivi.* Non humana illa sunt, sed divina.

Et cum haec dixisset, abiit, et vocavit Mariam sororem suam silentio, dicens : Magister adest, et vocat te. Vocaverat ergo Jesus Mariam, idque silentio Mariae Martha significavit, ne eam Judaei tumultuarie sequerentur : ast inscia consilium Jesu adimplevit Maria; nam oportebat Judaeos, ad eorum salutem, testes esse miraculi resurrectionis. Audiens ergo Magdalena adesse Dilectum suum, suo rapta amore statim surgens silentio properavit ad Jesum. *Illa ut audivit, surgit cito, et venit ad eum. Judaei*

ergo (verba Marthae non audierant) qui *erant cum ea in domo et consolabantur eam, cum vidissent Mariam, quia cito surrexit, et exiit, secuti sunt eam dicentes : quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi.*

Maria ergo, cum venisset ubi erat Jesus, videns eum, cecidit (ut in domo Simonis) *ad pedes ejus, et dicit ei : Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus.* Eadem dixerat et Martha, sed Maria nihil addit, utpote dolore ac singultibus praefocata : sed Dilecto et dilectae ista sufficiunt.

Vide nunc et instrospice Cor Jesu : *Jesus autem, ut vidit eam plorantem, et Judaeos, qui venerant cum ea, plorantes, infremuit spiritu et turbavit seipsum; infremuit* scil. indignationis sensu, et contra peccatum, quod tam luctuosos ac tam flebiles casus etiam in Deo amicissimos adduxit, et contra Scribas et Pharisaeos, propter quos, ut divinitatem suam miraculo probaret, Lazarum mori sinere debuit, ac tam dilectam familiam acerbissimo luctu contristare. Aliam insuper ob causam infremuit; nimirum, sciebat Scribas et Pharisaeos ex resurrectione Lazari tantum contra se odium concepturos ut eum essent gentilibus crucifigendum tradituri. Resurrectio igitur Lazari actus fuit in Christo, si ita de Jesu dici potest, he-

roicus, si quidem perillum condemnationi suae ad mortem subscripsit. Igitur ut ad terribilem suae passionis agonem, ad dolores et opprobria consentiret, fremendo se excitavit; prospiciens nempe Judae, principum sacerdotum, Scribarum, Pharisaeorum et totius suae gentis nefanda scelera tunc committenda; prospiciens et lacrymas Matris suae dolorosissimae et omnium Sanctorum cruci fideliter adstantium; prospiciens tandem terribiles quae universae Judaeae imminebant calamitates. *Turbavit seipsum;* non turbatus est; sed voluntarie seipsum turbavit; nam nulla in Christo commotio rationem et voluntatem praevenire poterat.

In eo virili indignationis affectu, *dixit : Ubi posuistis eum? Dicunt ei : Domine, veni et vide.* Ivit ergo Jesus, sed eundo tenero jam compassionis affectui locum praebuit in Corde suo : *Et lacrymatus est Jesus. Dixerunt ergo Judaei : Ecce quomodo amabat eum!* Sic Cor illud amantissimum amicis compatiebatur et semper compatitur; sed non amicis tantum dat Jesus lacrymas, flere novit et super miseros peccatores; flevit quippe super ingratam et perfidam Jerusalem : *Et ut appropinquavit, videns civitatem flevit super illam* (Luc. 19, 41). Super eos tandem qui eum crucifixerant flevit moriens in cruce et quidem cum clamore valido.

Tertium punctum. — *Tertio,* ait S. P., *eum resuscitat, postquam lacrymatus esset, et orationem fecisset : et modus eum resuscitandi fuit, jubendo : (Lazare, veni foras).*

Tribus hic insistit S. P., lacrymis, orationi et suscitationi per divinum imperium factae. Veniens enim Jesus ad sepulchrum lacrymari pergebat, et ibidem lacrymando oravit antequam Lazarum suscitaret.

Jesus ergo rursum fremens in semetipso, venit ad monumentum. Erat autem spelunca : et lapis superpositus erat ei. Ait Jesus : Tollite lapidem. Potuisset Jesus facere ut Lazarus, manente lapide, exiret de sepulchro, relictis ibidem institis, sicut in propria sua resurrectione erat facturus; sed ita non aeque bene de miraculo constitisset. Ad evidentiam enim suscitationis mortui requirebatur, ut Judaei mortuum ipsum, sublato lapide, cernerent, et foetorem putrescentis cadaveris olfacerent.

Contemplare eo momento personas : Christum coram sepulchro, adstantes vero ei Martham et Mariam plorantes, et Judaeos, quorum alii veritatem quaerunt, alii subdole observant.

Ubi autem Martha audit *Tollite lapidem,* videtur velle obsistere : *Dicit ei Martha, soror ejus qui mortuus fuerat : Domine, jam foetet, qua-*

triduanus est enim. Hoc permittit Jesus, ut de morte Lazari omnibus adstantibus evidenter constet. Martha quippe obstabat, sive ut Jesus deformitate et foetore cadaveris non offenderetur, sive quia nutans jam diffidebat Lazarum quatriduanum a Christo suscitari posse, ne id tentaret Christus; idque innuit reprehensio quam ei continuo Christus objicit : *Dicit ei Jesus : Nonne dixi tibi quoniam si credideris, videbis gloriam Dei?* Dei scilicet in Christo inhabitantis « Excitat Christus, ait Corn. a Lap., » nutantem Marthae fidem et spem; licet enim » ipsa Christo occurrens dixerit antea : *Ego* » *credidi quia tu es Filius Dei vivi,* et : *scio quia* » *quodcumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus;* » tamen cum ad rem ventum est, cum, in- » quam, Christus Lazarum suscitaturus jussit » aperiri sepulchrum, coepit Martha titubare; » unde dixit : *Domine jam foetet, quatriduanus* » *est enim*. Habuit ergo alternantes motus gra- » tiae et naturae, fidei et diffidentiae, spei et » desperationis de resurrectione Lazari, qua- » les in nobis experimur, cum conversi ad » Deum speramus nos omnia, licet difficilia, » superaturos; conversi vero ad nostram in- » firmitatem, ac praesente occasione, trepida- » mus, haeremus, et pene diffidimus illam a » nobis posse confici. Sic tirones ante prae-

» lium animos ingentes ostentant; at ubi prae-
» lium ingruit, primo hostium incursu terren-
» tur et diffugiunt. Unde illud : *In pace leones,*
» *in proelio cervi.* Veterani vero milites ante
» praelium trepidant ut cervi, in praelio vero
» consistunt, pugnantque ut leones. Hoc dis-
» crimine veteranum dignoscas a tirone. »

Tulerunt ergo lapidem; contemplare eo momento oculos omnium cum horrore in foetidum cadaver conversos; ad omnes illico ascendit foetor; ita ut nemini dubium de vera morte Lazari possit suboriri.

Incipit tunc coram cadavere humilis simul et sublimis oratio Christi, in qua docemur, non solum magnam reverentiam, sed et pro acceptis jam beneficiis gratiarum actiones fieri debere ante petitiones nostras apud Deum. *Jesus autem elevatis sursum oculis, dixit : Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me.* Loquitur nimirum hic quatenus homo est, et secundum suam humanam voluntatem. *Ego autem sciebam, quia semper me audis, sed propter populum, qui circumdat, dixi : ut credant quia tu me misisti.* Sic Jesus, immediate antequam Lazarum suscitet, coram omnibus qua intentione tantum sit patraturus miraculum, solemniter declarat, videlicet ut credant et salvi fiant, *Haec cum dixisset, voce magna clamavit : Lazare,*

veni foras. — *Voce magna,* ut divinam vim magni et potentis imperii revelaret, qua naturae et mortis Dominus et Deus a morte Lazarum suscitabat; *voce magna* etiam, quia a longinquo nimirum e Limbis patrum animam Lazari evocabat. Suo eum Lazari nomine appellat, quia ipsemet certo veniet. Brevissimum et ineluctabile est imperium, *veni foras,* ita enim imperare decet eum qui universorum Dominus est. Miraculum autem fieri non potuisset, si Jesus non fuisset missus a Deo Messias, et consequenter Filius Dei; nam Jesus praenuntiaverat se illud patraturum ad probandum suam Divinitatem; Deus autem miraculum ad confirmandum errorem facere non potest : *Ut credant quia tu me misisti.*

Prolato imperio, nulla mora interposita, Lazarus resurgit : *Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes et manus institis, et facies illius sudario erat ligata :* Cum ligatae essent manus, non poterat ipsemet fascias quibus constringebatur solvere; tamen per novum miraculum ita impeditus a tumulo ad Jesum procedebat. *Dixit eis Jesus,* scilicet Judaeis ut tangendo ipsimet viderent corpus redivivum : *Solvite eum, et sinite abire.* Contemplare stuporem omnium; respice Martham et Mariam; respice Lazarum et Jesum.

Multi ergo ex Judaeis qui venerant ad Mariam et Martham, et viderant quae fecit Jesus, crediderunt in eum, illi nimirum qui recto erant corde. *Quidam autem ex ipsis,* ii scilicet qui perfidis Pharisaeis adhaerebant, ii forte etiam qui, dum Jesus lacrymabatur, dixerant : *Non poterat* HIC, *qui aperuit oculos caeci nati, facere ut hic non moreretur?* Quidam vero, ex ipsis *abierunt ad Pharisaeos, et dixerunt eis quae fecit Jesus.* Et continuo evenit quod praescierat et ob quod fremuerat Jesus, scil. poena mortis propter resurrectionem Lazari, a concilio Pontificum et Pharisaeorum decernitur contra Jesum. *Collegerunt ergo Pontifices et Pharisaei concilium, et dicebant : Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? si dimittimus eum sic, omnes credent in eum : et venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem. Unus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis : Vos nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat... Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum.* Ne inquirere quidem volunt utrum forte Jesus sit Messias; sciebant tamen ex Prophetiis adesse tempus ejus et natum esse eum in Bethlehem; sciebant cetera omnia quae praedicta fuerant adimpleri jam in Jesu; videbant et signa et prodigia

quae in testimonium divinae missionis suae quotidie faciebat. Sed Romanos timent; eum autem non timent qui Filium Dei se et dicit et probat. O stupenda caecitas, quae et omnibus omnium saeculorum impiis communis est! Sol lucet in meridie, lucere solem negant. Quid inde concludendum? Duo inde erue; primo, tantam esse hominis libertatem, ut si velit, omnibus resistere valeat : secundo, fidem esse donum Dei : *Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum* (Jo. 6, 44); et : *Nemo novit Filium, nisi Pater : neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (Matt. 11, 27). Quos autem trahit Pater ad Filium? Qui credunt revelanti Christo; quae revelatio, interna scilicet et sola fidem pariens, non fit superbis, sed humilibus et rectis corde. Eodem enim loco paulo ante dixerat Jesus : *Confiteor tibi, Pater, Domine caeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita, Pater, quia sic fuit placitum ante te.*

In fine colloquium, et *Pater noster*.

SECUNDUM EXERCITIUM

De caena in Bethania

MATTH. 26, 6, MARC. 14, 3, JOAN. 12, 1.

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Erit hic, quomodo coenante Christo in domo iterum Simonis leprosi, effundit ibidem Maria Magdalena pretiosum unguentum super caput Jesu. Murmurante autem Juda de tali expensa, excusavit et laudavit Dominus noster Magdalenam.

Secundum praeambulum, compositio loci. Erit hic videre domum Simonis, et locum ac mensam convivii.

Tertium praeambulum, idem quod pro mysterio Incarnationis.

Primum punctum. — *Primo,* ait S. P., *Dominus caenat in domo Simonis leprosi, simul cum Lazaro.*

Haec caena locum habuit pridie dominicae Palmarum; *ante sex dies Paschae;* non in domo Lazari, sed in domo Simonis, cui cognomen erat *leprosi,* vel, ut fit, ex dato propter causam nobis ignotam cognomine, vel quia, cum esset *leprosus,* fuit a Christo sanatus. Pharisaeus

quidem fuerat, et ideo cum charitate, duobus ante annis, in simili convivio, propter Magdalenam correptus fuerat a Christo. Ast jam nunc vir ille Bethaniae primarius erat et ipse amicus Jesu. Cum autem et sua sanitate devinctus esset, et commune propter suscitationem Lazari gaudium festo celebrare vellet, Jesum, Lazarum, Mariam, Martham, discipulos et ceteros Christi amicos ad caenam invitavit. Martha mensae, propter Jesum, in amica et forte cognatione conjuncta domo, inservire voluit; nec otiosa Maria in amoris sui significatione esse decreverat. Fecerunt, scil. Jesu, *caenam,* id est Simon et vicini amici Jesu.

Fecerunt autem ei coenam : et Martha ministrabat. Lazarus vero, cujus occasione epulabantur, *unus erat ex discumbentibus cum eo.*

Contemplare personas accumbentes, Simonem factum jam Christo amicissinum et plenum reverentia simul et gaudio; contemplare laetantes propter Dominum suum discipulos; eosque singulos in specie pro sua indole affectos intuere, Petrum, Andream, Joannem, etc. Contemplare et Martham tanta cum veneratione, obsequio, gratitudine, humilitate, amore, gaudio, omnibus, et maxime Christo, inservientem; contemplare et Lazarum gra-

tum, benignum, amantem, sed ceteris omnibus modestia graviorem. Quomodo enim coram terrenis nostris nugis a benigna gravitate recedat, qui domum aeternitatis semel est ingressus?

Contemplare Christum Dominum nostrum, quomodo mensae accumbit, totus caelestis, mente in caelum erecta, erga convivas benignus, obsequiosus, et cum humili dignitate ac nativa gravitate amabilis nimis. Quanta cum moderatione, quanta cum modestia vultus et motuum edit et bibit! Quantum est sui dominus! Quam modestus in aspectu! Quam benevolus, quam parcus, quam divinus in verbis! Fructum ex his collige; in refectione corporis, socius Jesu, Jesum imitare, temperantia, motuum gravitate, modestia, charitate, ita ut naturalem et animalem actum ad supernaturalis et caelestis actionis dignitatem erigas. Ama tamen, ut Martha, fratribus tuis, cum humilitate, alacritate ex amore Christi sicut Christo inservire.

Secundum punctum. — *Secundo,* ait S. P., *effudit Maria unguentum super caput Christi.*

Certe hac vice amicissimus jam Jesu Simon non neglexerat lavare pedes Christi, ideoque necesse non fuit ut eos aut aqua, aut lacrymis suis Magdalena rigaret; nec neglexerat

Simon invitatos, et maxime Jesum, unguento ungere.

Contemplare dilectam Mariam Magdalenam hac vice exspectatam et exoptatam convivio supervenientem : ditissimum ferebat alabastrum, quod libram unguenti *pretiosi* et *pistici*, seu non sophistici, sed puri et sinceri, continebat; duo illa : *pretiosi et pistici* seu *spicati* idem sonant ac *pretiosi valde;* Maria igitur festina prae amore Jesu ingreditur, et convivantes inexspectato gaudio perfundit.

Joannes narrat Magdalenam unxisse pedes Jesu, quo Incarnationem et sanctissimam ejus humanitatem honoraret : *Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici, pretiosi, et unxit pedes Jesu, et extersit pedes ejus capillis suis, et domus impleta est ex odore unguenti.*

Ecce jam contemplare eam ungentem caput Jesu, et sic ejus honorantem Divinitatem; coepit olim, humillime lavando lacrymis suis pedes Jesu; nunc eosdem pedes ungit unguento; *nardus mea dedit odorem suavitatis* (Cant. I, 11); desinit ascendendo ad caput et ad divinitatem Christi : sic a via purgativa per illuminativam ad unionem pervenit : *Et fracto alabastro effudit super caput ejus.* Contemplare eo momento personas omnes, atque intime intuere cor Magdalenae et Cor Jesu. En quae rependere Jesus

paratus est etiam peccatoribus, qui cum insigni humilitate, dolore, amore et generositate ad eum convertuntur.

Tertium punctum. — *Tertio,* ait S. P., *murmurat Judas, dicens : (Ut quid perditio haec unguenti ?) sed ille excusat denuo Magdalenam, dicens : Quid molesti estis huic mulieri ? Opus enim bonum operata est in me.*

Hac vice, non Simon, non Pharisaei, sed quidam ex discipulis ipsis contra Magdalenam indignantur; quod Cor Jesu debuit alte afficere. Sic religiosus leviter extraneorum fert injurias; non autem ita eas quae sibi a propriis fratribus impinguntur. Quid sensit ipsa Magdalena, cum vidit a quibusdam discipulis improbari se, ubi tam praeclarum amoris ac honoris testimonium Christo exhiberet! Ita permittente Deo, perfecti a minus perfectis exercentur. Et hic, nedum animo despondeatur, dicendum : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum.*

Non tamen omnes discipuli qui murmurarunt incriminandi sunt : sophistica nimirum et hypocrita Judae ratiocinatio eorum simplicitatem captivaverat. An nulli nostri temporis Christiani, si Judam ibi audiissent, idem, etsi non eadem ex intentione, sensissent? Discipuli

ne suspicabantur quidem Judam furem esse et fore proditorem. Solus id sciebat Jesus, qui corda intuetur.

Solus igitur Judas vere noxius fuit et scelestus, discipulosque aliquos in transversum egit. Ideo S. P., ut hos ex reverentia et aequitate a sinistra accusatione praeservet, recurrit ad Evangelium Joannis, in quo solus Judas murmurans inducitur, qui ceteros in errorem traxerat. *Dixit unus ex discipulis ejus, Judas Iscariotes, qui erat eum traditurus : Quare hoc unguentum, non vaeniit trecentis denariis, et datum est egenis ? Dixit autem hoc non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, et loculos habens, ea quae mittebantur, portabat.* Quo audito, aliqui ex discipulis, ut fit in talibus, propter probabilitem argumenti, ei assenserunt. Hinc Matth. habet : *Videntes autem discipuli, indignati sunt, dicentes : Ut quid perditio haec ? Potuit enim istud venundari multo, et dari pauperibus.* Illi nimirum indignantur ex vera erga pauperes misericordia, Judas autem ex avaritia, quia partem pretii unguenti, quod in caput Jesu effundebatur, furto sibi attribuere non posset. Quot sunt tales in mundo scelesti hypocritae? Quot et victimas seducunt!

Sciens autem Jesus, ait illis : Quid molesti estis huic mulieri ? Opus enim bonum operata est in me.

Nam pauperes semper habetis vobiscum : me autem non semper habetis. Secreto inter se discipuli murmuraverant; murmur autem directe in Magdalenam, indirecte, ex intentione Judae, in Christum incidebat; ostendit Jesus divinitus scire se eorum murmurationem, ac Magdalenam justificat. Propriam autem suam injuriam patientissime sustinet, et magna cum humilitate magnoque cum amore respondet : *pauperes semper habetis vobiscum,* etc. De proxima autem sua passione ac de suo discessu cogitans, tenerrime addit : *me autem non semper habetis :* prosequitur, et de sua sepultura agens, quam tam proximam discipuli non divinabant, ea addit quae sequenti tempore discipulos valde movebunt : *Mittens enim haec unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* Marcus ait : *praevenit ungere corpus meum in sepulturam;* dicendo *praevenit,* prophetavit Jesus; nam quando Dominica mane Magdalena ad sepulchrum venit ut Dilectum suum ungeret, jam surrexerat Jesus.

Nec satis fuit Cordi Jesu justificasse Magdalenam : prophetans futuram ei pro facto suo gloriam asserit in saecula : *Amen dico vobis : Ubicumque praedicatum fuerit Evangelium istud in universo mundo, et quod fecit haec, narrabitur in memoriam ejus.* Simul narrabitur et infamis

Judae perfidia. Servi Deo, et famam tuam ei committe.

In fine colloquium, et *Pater noster*.

Duodecima dies

PRIMUM EXERCITIUM

Dominica Palmarum

SCRIBIT MATTH. 21, 1, MARC. 11, 1, LUC. 19, 29

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Hic erit, quomodo Christus Dominus mittit duos discipulos ut adducant asinam et pullum : conscendit asinam super quam straverunt Apostoli vestimenta sua; dum ita tendit in civitatem Jerusalem, occurrunt turbae obviantes ei et sternentes in via vestimenta sua, et ramos arborum, atque clamantes : *Hosanna Filio David!*

Secundum praeambulum, compositio loci. Erit hic videre viam quae ducit a Bethania in Jerusalem, per Bethphage, montem Oliveti et vallem Josaphat.

Tertium praeambulum idem quod pro mysterio Incarnationis.

Primum punctum. — *Primo,* ait S. P., *Dominus mittit (Discipulos) ut adducant asinam et pullum, dicens : (Solvite et adducite mihi ; et si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet, et confestim dimittet eos).*

Antequam pateretur pro redimendo mundo et saturaretur opprobriis, Regem esse se Judaeorum Jesus per triumphalem in Jerusalem, Judaeae metropolim, ingressum, ostendere voluit : non quidem ut regium sibi, qualiter homines solent, quod esset indignum Deo, honorem compararet, sed ut, implendo Zachariae prophetiam, Judaeis probaret Messiam promissum esse se, et Filium David et Filium Dei, atque ita eos ad fidem et salutem adduceret; si vero in infidelitate persisterent, eos redderet inexcusabiles.

Ast simul ostendere voluit quale futurum esset regnum ejus, non temporale scilicet, sed spirituale, in animas exercendum : *Principatus ejus super humerum ejus;* crux nempe, quam super humerum portabit, et in qua, de peccato, de mundo, de daemone, de inferno triumphans morietur, ut in aeternum regnet. *Regnavit a ligno Deus;* et : *Regni ejus non erit finis* (Luc. 1, 33). Hinc dicet Pilato : *Regnum meum non est de hoc mundo* (Jo. 18, 36).

Reges hujus mundi, cum regno suo potiun-

tur, phalerato equo insidentes, purpureis et auro splendentibus vestimentis ornati, atque renitente militum et magnatum caterva stipati, solemniter excipiuntur. Non ita Rex animarum Jesus, qui rex non est nisi quia Servator. Ut in meditatione de Regno Christi dictum est, verus et summus Rex paupertate et opprobriis salvabit et regnabit. Ideo asinae et pullo insidens suam ingreditur regiam civitatem pauper et humilis, mansuetus et amabilis. In passione autem, in flagellatione, in spinea coronatione, in cruce, totius regiae dignitatis ejus ratio et essentia omnium oculis apparebit; hinc volente Deo, in capite crucis inscribetur : *Jesus,* id est per crucem, per dolores et opprobria Servator : *Jesus Nazarenus, Rex Judaeorum.* Ad regni ejus essentiam etiam pertinet, quod subditi ejus, non coacte, sed libere ei serviant, eumque ut Regem voluntarie et ex amore agnoscant et honorent. Inde nullo, in solemni suo ingressu, publico comitatu stipatur. Dilecti ejus discipuli super asinam, super viam vero plebei et pueri sua sternunt vestimenta, et virides palmarum atque olivarum ramos in altum sustollunt. Neminem verus Rex cogit : *Proinde qui voluerit venire mecum,* (contempl. de Regno). Ad dura enim vocat; nihilominus non frustra vocabit :

ex ipsa enim cruce sua trahet ad se gentes, trahet manibus et pedibus affixus, trahet amore, trahet divina potentia. *Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum* (Jo. 12, 32). Solum hoc regnum Deo dignum est, solum et filiis Dei dignum.

Et cum appropinquassent Jerosolymis, et venissent Bethphage ad montem Oliveti : tunc Jesus misit duos discipulos (probabilius Petrum et Joannem), *dicens eis : Ite in castellum quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea : solvite et adducite mihi : Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet : et confestim dimittet eos. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem : Dicite filiae Sion : Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, et pullum filium subjugalis.*

Ex his quadrupliciter divinitatem suam Christus demonstrat : 1. Adimpletione Prophetiae Zachariae. 2. Prophetia ipsius Jesu; unde enim, si non esset Deus, scire illud contingens potuisset, quod duo discipuli essent asinam alligatam et pullum inventuri eo momento quo castellum ingrederentur? quod tamen ad litteram evenit. 3. Divini sui dominii exercitio : *solvite,* et *adducite : dicite quia* DOMINUS *his opus habet*. 4. Praescientia simul et

potentia : *Et confestim dimittet eos :* quod sine interna actione divina, fieri non potuisset.

Euntes autem discipuli fecerunt sicut praecepit illis Jesus. Mira fuit in discipulis fidei simplicitas, qui nec ullum fecere ratiocinium, nec ullum periculum timuere! *Vir obediens loquetur victorias* (PROV. 21, 28). Jesum enim Deum et Dominum credebant. Utinam et ego cum eadem fide et simplicitate Superioribus meis, qui locum Dei tenent, humiliter obediam? *Qui vos audit, me audit : et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.* (LUC. 10, 16.)

Secundum punctum. — *Secundo,* ait S. P., *conscendit asinam, coopertam vestimentis Apostolorum.* Duobus hic S. P. insistit, nimirum humilitati Christi et pietati Apostolorum.

Humilitas Christi. Quam praeclare hic adimpletur, quod S. P. de Jesu dicit in meditatione de duobus Vexillis : *Considerare quomodo Christus Dominus noster se sistit in magno illo campo Hierusalem in loco humili speciosus et amabilis!* Cum Christus Dominus noster Rex sit non Judaeae tantum, sed et totius orbis ac omnium saeculorum, en quomodo se exhibet, regem se declarans. En quid sentit Jesus de vano quandoque eorum qui in Ecclesia praesunt apparatu; quid de iis qui, sub fucata tuendae

dignitatis specie, mundanae ac puerili mundanorum hominum vanitati indulgent, humilitatis immemores quam Christus Dominus supremus ac divinus Pontifex suis verbo et exemplo tantopere commendavit; iis porro qui oculos habent vera ac genuina dignitas ex humilitate tanquam ex propria radice oritur atque efflorescit. Huic solum praeterea, non vanitati, annexae sunt promissiones, quas Christus Salvator mundi sua nobis humilitate promeruit : *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis : propter quod...* Percurre historiam Ecclesiae, et insignem servatorem animarum invenies nullum, qui vilitatis et abjectionis amator non fuerit. Oculos in Ignatium et in Xaverium converte pauperibus ac detritis vestibus coopertos ac quorumcumque opprobriorum percupidos. In hac abjectionis dilectione tota ignatiani aedificii moles consistit. (Reg. 11, Summ.)

Contemplare Jesum asinae primum, deinde pullo insidentem; et gusta mansuetudinem, suavitatem, et amabilitatem, quam vera parit humilitas : *Dicite filiae Sion : Ecce rex tuus venit tibi mansuetus.* O quantum illi errant qui, ut plus valeant, rigide se habent ac superbe, cum sola humilitas et dignitatem, et internam

reverentiam, et amorem ac fiduciam pariat. Ast ardua illa humilitas est; quantum enim facile est humiles admirari et diligere, tantum difficile est per amorem opprobriorum ad humilitatem pervenire. Sola id potest efficere intima illa Jesu cognitio, ex qua amor et imitatio enascuntur.

Pietas Apostolorum. Et adduxerunt asinam et pullum, et imposuerunt super eos vestimenta sua, et cum desuper sedere fecerunt.

Humilis Jesus pro phaleris paupera habet Apostolorum vestimenta. Quanto autem cum amore et gaudio discipuli suis se extimis vestibus spoliaverunt easque pro Dilecto suo super jumenta straverunt! Viles quidem illae erant ac pauperes : sed multo magis Jesus, qui obolam viduae laudavit, affectum attendit quam donum; immo et magis de vilibus istis tapetibus gaudet et gloriatur ille qui, mitis et humilis corde, mundi pompam abhorret, nec regem nunc agit nisi ut salvet.

Contemplare et reverenter atque amanter Jesum cum Apostolis incedentem sequere. Hoc quidem nunc mente tantum agis : sed quoties ipsum sub speciebus eucharisticis latentem, at reipsa praesentem, sive cum ad aegrotos defertur, sive cum in publicis supplicationibus per plateas ad triumphum incedit, potes co-

mitari! *O si scires donum Dei! Vere medius vestrum stetit, quem vos nescitis. Beati qui non viderunt et crediderunt.*

Tertium punctum. — *Tertio,* ait S. P., *exeunt ad excipiendum illum sternentes in via vestimenta sua, et ramos arborum, et dicentes : (Hosanna, Filio David : Benedictus qui venit in nomine Domini : Hosanna in altissimis).*

Cur Christus regalem aliquam pompam, ingrediens Jerusalem, admisit? 1. Ut Judaeis benigne indulgeret, qui Messiam ut alterum Salomonem cum magnificentia venturum expectabant : sic, sed cum humilitate, Zachariae prophetiam implet, ut qui videre volunt, videant. 2. Ut Pharisaei impletam videntes Zachariae prophetiam, vel crederent, vel essent inexcusabiles. Sciebat enim quae adversum se moliebantur. 3. Ut figuram impleret agni, qui ipso ingressus sui die decimo quarto cum pompa inducebatur in Jerusalem. 4. Ut mundanorum honorum et plausuum vanitatem ostenderet : qui enim modo parant Christo triumphum, quinque post dies conspuentes illum, clamabunt : *Crucifige, crucifige eum.*

Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via : alii autem caedebant ramos de arboribus, et sternebant in via (Matth. 21, 8).

Quinam comitabantur Christum? Non Pha-

risaei qui odio in Christum Dominum flagrabant et in ipso omnia maligne perscrutabantur; aderant quidem plurimi, sed, ut saepe fit in publicis nostris supplicationibus, stabant frementes aut frigidi secus viam. Quinam igitur corde et affectu Jesum sequebantur, quinam et vestimenta et viridos ramos sternebant in via? scil. homines de plebe, pueri, turbae : *Confiteor tibi, Pater Domine caeli et terrae, quod, abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* (Luc. 10, 21). *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum* (Matt. 5, 3).

Turbae autem, quae praecedebant, et quae sequebantur, clamabant dicentes : Hosanna Filio David, Benedictus qui venit in nomine Domini : Hosanna in altissimis.

Hosanna, acclamatio triumphi et salutis, simul est oratio directa ad Deum, et ad litteram significat : *Salva quaeso;* ita ut *Hosanna Filio David* idem sonet ac : Deus in altissimis habitans, Filium David, quem ut Messiam promissum et Regem nostrum acclamamus, salva, quaesumus, ut et ipse nos salvet. Sic orans dicit Ecclesia : *Domine, salvum fac regem nostrum.*

Sicut palmae victoriam, ita et Hosanna triumphum significabat. Ne suspicabatur quidem turba unde Christus victoriam et trium-

phum esset relaturus; sciebat autem Jesus se quinque post diebus, in monte Calvario, inter opprobria et dolores, peccata, mundum atque infernas potestates devicturum, atque in Resurrectione et Ascensione sua triumphaturum.

Vide nunc quam mortalium hominum triumphos nihili faciat; vide Jesum de seria generis humani salute sollicitum, et in ipsis mediis acclamationibus flentem. Hinc disce quale sit Cor Jesu, in nulla re sibi vivens : disce et qualis vir apostolicus esse debeat.

Dum Pharisaei, propter triumphum Christi invidia tabescentes dicebant ei : *Magister, increpa discipulos,* et eis Jesus responderet : *Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt,* eorum malitia et duritie cordis percitus Dominus noster in conspectum civitatis venit. *Et ut appropinquavit, videns civitatem, flevit super illam.* En Cor Jesu erga ingratam, perfidam et post aliquos dies deicidam civitatem : *flevit,* quia eam, quantumvis peccatricem, amabat : *flevit,* non increpavit, non percussit; fletu suo et mansuetudine sua discipulos suos edocens, non esse tractandos cum duritie, cum objurgatione et injuriis maximos etiam peccatores, sed ratione et charitate mulciendos; si vero in peccatis pertinaciter perseverent, deflendos. Cur igitur Jesus flevit? 1. Quia caeci, ob-

durati et ingrati Jerosolymitani, ad perditionem suam, eum ut Messiam non agnoscebant. 2. Ob futuram Dei in eos vindictam et totius gentis per Romanos excidium; 3. quod tot suos pro ea civitate labores ac dolores videret irritos.

Flevit super illam, dicens : Quia si cognovisses et tu (ut ego) *et quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* Voluntarie enim oculos clausisti, ut quae ad pacem tuam et aeternam felicitatem tibi afferebam, non videres.

Et tu : sic paraphrasim inducit Corn. a Lap.: « Tu, o filia Sion, a me adeo amata, honora-» ta, locupletata, edocta : quomodo me non » agnoscis, immo me ut falsum Messiam reji-» cis, persequeris, damnas, occidis, crucifigis? » Ego enim propter te e caelo in terram des-» cendi : propter te in Bethlehem natus sum, » propter te triginta quatuor annos in conti-» nuo labore, dolore, paupertate vixi. Trien-» nium totum tuos vicos et castella obeundo, » praedicavi et docui : tuos leprosos, aegros, » daemoniacos sanavi, tuos mortuos vitae res-» titui. Tu ergo, filia Jerusalem, filia a me » adeo dilecta, cur me tui tam amantem non » redamas, sed velut hostem spernis et peri-» mis? Veniet, ac brevi veniet dies illa magna

» Dei, qua sero perfidiam tuam agnosces, ac » tuam caecitatem frustra deplorabis. »

Dein flens pergit Jesus : *Quia venient dies in te : et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te : et coangustabunt te undique : et ad terram prosternent te, et filios tuos, qui in te sunt ; et non relinquent in te lapidem super lapidem : eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae. Luc.*

Et cum intrasset Jesus Jerosolymam, ait Matth., *commota est universa civitas dicens : Quis est hic? Populi autem dicebant : Hic est Jesus propheta a Nazareth Galilaeae.*

In fine colloquium et *Pater Noster.*

SECUNDUM EXERCITIUM

De praedicatione in templo

LUC. C. XIX.

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Erit hic, quomodo Christus per portam auream ingressus in civitatem, continuo inde ivit ad templum, ex quo vendentes ejecit; exhinc, et sequentibus diebus praedicavit in templo, Bethaniam quotidie vespere repetens.

Secundum praeambulum, compositio loci. Erit hic videre atrium templi, in quo Christus praedicabat.

Tertium praeambulum, idem ac pro Incarnatione.

Ultimam secundae hebdomadae contemplationem ponit S. Ignatius de praedicatione Christi, nec immerito. Cum enim Christus esset jamjam ex hoc mundo discessurus, dixit Apostolis : *Praedicate Evangelium omni creaturae* (Marc. 16, 16). *Euntes docete omnes gentes* (Matt. 28, 19). Radix quippe divini ministerii, praedicatio est. *Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante?.. Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi* (Rom. 10). Cum autem S. P. iis tantum integra Exercitia destinaverit, qui ad vitam apostolicam idonei fuerint et paucissimis aliis, ubi eos ad finem secundae hebdomadae conduxit, Christum praedicantem in templo eis proponit, eosque ardentissimo animarum zelo incendit.

Duo tantum puncta in hac contemplatione a S. Fundatore ponuntur : unum addimus et praeponimus; in primo puncto per expulsio-

nem sacerdotum pharisaeorum qui lucra sibi ex injusta mercatura comparabant, intelliget apostolus sibi ad ministerium verbi, abjecta omni lucri temporalis cupiditate, esse accedendum : in secundo, in exemplum praedicatio ipsius Christi datur; in tertio, docetur praedicator famae aestimationique hominum et vitae commoditatibus sibi esse valedicendum.

Primum punctum. — Christus templum ingreditur, ut Rex, ut summus Sacerdos, ut Deus. Rex acclamatus est, regiam domum suam ingreditur : ingreditur Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, locum in quo per tot saecula sacrificia sui sacrificii figurativa oblata fuerant; ut Deus, templum sibi ac Patri consecratum ingreditur, illudque a profanatione vindicat.

Contemplare, ingrediente in atrium Domino, personas : ementes et vendentes, animalia, et audi tumultum : contemplare vultum Jesu, propter domus Patris sui profanationem, divina indignatione plenum, relucentemque in oculis ejus majestatem et invictam potentiam. *Zelus domus tuae comedit me* (Ps. 68, 10) : sed multo magis propter rapacitatem, latrocinia, simplicisque populi vexationes, contra perfidos Scribas et Pharisaeos

mercatores indignatur, qui salutis populi incurii atque ei offensi, soli pecuniae inhiabant. Ideo Christus eos, quin resistere possent, cum bobus et ovibus suis e templo ejecit. *Et ingressus in templum*, ait Lucas, *cœpit ejicere vendentes in illo, et ementes, dicens illis : Quia domus mea domus orationis est. Vos autem fecistis illam speluncam latronum.*

Hoc facto omnimode Apostolis suis paupertatem eamque realem ac perfectissimam commendavit, ut, abdicatis curis saecularibus omnibus, atque nulli amplius rei terrenae adhaerentes, homines omnino caelestes et essent et omnium oculis apparerent : Sic ipse ita se pauperem exhibuit ut dicere potuerit : *Vulpes foveas habent, et volucres caeli nidos : Filius autem hominis non habet ubi reclinet caput suum* (Luc. 9, 58). Hoc nempe dedit responsum, illi qui ei se offerens dixerat : *Sequar te quocumque ieris.*

Si quis aut pecuniam colligit aut pecuniae inhiat, hic profecto non est Apostolatui idoneus. Hinc S. Ignatius, non tantum votum paupertatis suis imposuit, sed nec pro ipsa communitate stipendium, aut quod speciem stipendii habeat, permisit accipere. *Gratis accepistis, gratis date* (Matt. 10, 8).

Quare autem Christus Apostolos suos ita

paupertatem sectari voluit? Quia cupiditas, quae juxta Spiritum Sanctum radix omnium malorum est, cum fructu Apostolatus nullo modo potest conciliari. Vel enim discipulus Christi ex avaritia, vel ex appetitu commoditatum hujus vitae vult ditescere : si ex avaritia, pecuniae ut idolo serviet. *Non potestis Deo servire et mammonae.* Hinc in eo sensus fidei, si non tollitur, sicut in Juda, multum minuetur : fidet ille sibi, non Deo; nec Deus ipsi providebit; hinc tepor in omni divina communicatione. Praeterea, et hoc multo latius patet, non nisi sterile ministerium, cum multarum animarum detrimento et ruina exercebit. Lucro enim intentus ita obcaecabitur, ut animas perire praeferat quam iis gratuito subvenire. (Utinam hic casus esset pure metaphysicus!); ut vir omnino terrenus habebitur, omnem amittet hominum fiduciam, nec alia, quam sordidi seque solum amantis avari aestimatione potietur. Charitate carens, contemptui et odio erit omnibus. Vel cupidus est ut commodius, lautius, splendidiusque vivat; et exinde contemptui pariter erit obnoxius : atque intra se aut etiam palam quisque ei dicet : *Et tu vulneratus es sicut et nos* (Is. 14, 10). Vitae praeterea commodis deditus, laborem fugiet, tempus in nugis impendet, et quae in-

grata sunt vel omittet, vel oscitanter et sine fructu praestabit. Hinc et mollities, et patens omnibus vitiis ostium, et perditio multarum animarum. In cruce salvantur animae; qui non vult cum Christo crucifigi, non poterit esse cum Christo salvator mundi.

Si haeretici, si perversi Christiani accusant sacerdotes qui ea quae sibi jure divino debentur *(dignus est operarius cibo suo* MATT. 10, 10) repetunt, indeque religionem nostram negotiationem esse et quaestus industriam impie et calumniose inferunt, quid de sacerdote dicent quem de acquirenda pecunia magis quam de servandis hominibus sollicitum viderint? Et quantum ille vir toti religioni afferet detrimentum! Quantam e contra sibi et Ecclesiae Christi admirationem, fiduciam, amorem conciliat ille, qui in cibo, in potu, in vestibus, in suppellectili pauper est sibi, in pauperes vero dives et effusus, ita ut non sibi vivat, et moriatur pauper!

Secundum punctum. — *Primo,* ait S. P., *erat quotidie docens in Templo*. (LUC. 19).

Contemplare atrium templi, et in eo Jesum praedicantem : intuere Cor ejus divinae gloriae et salutis hominum studio flagrans : contemplare vultum ejus majestatem et humilitatem, charitatem et zelum spirantem : con-

templare et auditores, plerosque de plebe, et cum eis Pharisaeos quosdam malignantes et insidiantes.

1. *Jesus erat docens,* Non dicit Evangelista : praedicabat, aut concionabatur, sed *erat docens,* ut praedicationis Jesu naturam definiat, quae, ut decet Deum, divina erat et simplicissima : nimirum veritas erat praedicationis ejus materia, sive moralis illa, sive dogmatica, simpliciter et cum divina gravitate prolata; non fucata, non puerilibus Rhetoricae floribus aut oratoria arte ornata; quae quidem academiis convenire possunt, sed divinum verbum ad salutem humani generis destinatum penitus dedecent. Quis enim in Christo, quin dignitati ejus injuriam faciat, sibi effingere possit aestimationem et ambitionem formarum oratoriarum, ceterorumque artis dicendi ornamentorum quibus ciceroniani oratores eloquentiae famam sibi comparare contendunt, supponat? Sicut divitias, honores, mundanumque splendorem a se abjecit, ita et oratoriam vanitatem tam seipso quam sublimissima sua missione indignam prorsus contempsit et protrivit. Magistrum suum secuti sunt Apostoli. Testis est Paulus; atque utinam verba ejus ii concionatores meditarentur qui elegantiae et ingenii famam sectantes solemnes conciones

vani expetunt! Verbum suum isti, non verbum Christi annuntiantes, quaerunt sine suo et animarum fructu, *quae sua sunt, non quae Jesu Christi : Ego veni non in sublimitate sermonis, aut sapientiae annuntians vobis testimonium Christi* (I Cor. 2, 1). *Testimonium Christi,* en praedicationis materia, doctrina nimirum quam, non in forma ciceroniana, sed cum simplicitate et flatu divino docuit Christus; nostrum autem est, doctrinam ita traditam, novis generationibus cum caelesti auctoritate tradere, eodemque modo quo eam Christus tradidit; nam *pro Christo legatione fungimur,* nec alio sermone nobis utendum est, quam quo ille qui nos delegavit. Si enim ita praedicaverimus, Deus per nos exhortabitur, quia verbum Dei docebimus, in quo non humana, sed divina vis et efficacia recondita est : *Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti; et pertingens usque ad divisionem animae et spiritus, compagum quoque ac medullarum* (Hebr. 12). Qui vero secus faciunt, non pro Christo legatione funguntur, sed proprio nomine accedunt, proprium verbum, humanum videlicet cum humana tantum ac naturali efficacia annuntiant, *adulterantes verbum Dei,* et praedicantes semetipsos. *Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceri-*

tate, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur (2 Cor. 2, 17).

Apostolorum vestigia Sancti Patres secuti sunt, nec in eorum eloquentia aulicam dicendi, dividendi, amplificandi et ornandi affectatam vanitatem invenies, quae in quibusdam litterariis, non apostolicis, saeculis praevaluit.

Docens erat : docenda igitur est ea, quam Christus nobis e caelo detulit doctrina; docenda sunt dogmata, docenda praecepta; docenda super omnia catechesis, vita, et verba Christi. Utinam magis ac magis per conciones semper innotesceret Christus! inde amor accenderetur, et quasi sponte sequeretur imitatio. Hoc nos docuit S. P. in tertio totius secundae hebdomadae praeambulo; et incassum de moralibus disseremus, si praevia cognitio intima, si et amor Christi non praecesserint. Frustra enim expectes arborem et fructus, ubi non sit radix, nec sine fundamento quidquam aedifices. In quo enim vitam aeternam constitutam esse Christus declaravit? *Haec est autem vita aeterna : Ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum* (Io. 17, 3).

Erat docens *quotidie*. Adeo gloriae Dei et animarum cupidum se praebebat Jesus, ut

usque ad defatigationem praedicaret. Eum imitetur vir apostolicus. *Nam si evangelizavero,* aibat Paulus 1. ad. Cor. 9, 16, *non est mihi gloria : necessitas enim mihi incumbit : vae enim mihi est, si non evangelizavero.* Ast quomodo quotidie, quomodo importune et opportune Christum annuntiabit, qui in concione artificiose distribuenda et dividenda, in librandis periodis, in sententiis affabre expoliendis insudaverit?

Erat docens *quotidie in Templo.* Quamvis in omni loco, ad exemplum Christi, in plateis, in castellis, in deserto, danda sint monita salutis, proprius tamen ad verbum Dei annuntiandum locus templum Domini est. Ibi enim Christus habitat : ibi coram Christo realiter praesente, pro Christo legatione fungitur et in nomine ejus docet praedicator. Dum autem verba in aures audientium e suggestu mittuntur, praesens et invisibilis loquitur ad corda fidelium Christus. Sed ex hac Christi Domini praesentia sequitur praedicatori, vices Jesu praesentis gerenti, gravitatem et modestiam omnino esse servandam. Omnis igitur levitas, scurrilitas, vanitas, iracunda personarum insectatio, arrogantia, ostentatio, affectatio, verborum lenocinia, jocosa verborum ex vanitate prolata acumina, in tam seria ac divina

verbi ipsius Dei annuntiatione sedulo vitentur oportet. Hic autem eximia illa, quae in regulis concionatorum Societatis Jesu continentur documenta, magna cum utilitate recoli poterunt.

Tertium punctum. — *Tertio,* ait S. P., *finita praedicatione, quia non erat qui eum exciperet Hierosolymis, redibat in Bethaniam.*

Hoc eduxit S. P. ex Luca c. 21, 37, qui ait : *Erat autem diebus docens in templo; noctibus vero exiens morabatur in monte, qui vocatur Oliveti. Et omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum.* Idem et ex Matth. eruitur (c. 21, 17): *Et relictis illis* (vespere dom. Palm.) *abiit foras extra civitatem in Bethaniam : ibique mansit. Mane autem revertens in Civitatem, esuriit.*

S. Ignatius, qui intima Jesu tam bene noverat, et a Spiritu Sancto mire illuminabatur, intellexit et expressit cur Jesus nocte non moraretur in Civitate, nempe *quia non erat qui eum exciperet.* Quam utiles inde conclusiones erui possunt! Ergo a triumpho illico Jesus transit ad absolutam derelictionem. Modo clamabant *Hosanna Filio David, Hosanna in altissimis;* et ecce vespere facto, nemo in civitate ei extranea vel minimum offert hospitium, ita ut Jesus cogatur, et hoc quotidie,

noctem in monte Oliveti sub dio transigere; neque quisquam ei cibum offert, ita ut sequenti mane esurierit. En quo desinit omnis mundana gloria. Fide nunc et plausibus et triumphis : *vanitas vanitatum, et omnia vanitas,* praeter amare Deum et illi soli servire. Fide hominibus, baculis nempe arundineis : *Ecce confidis super baculum arundineum confractum... cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum ejus, et perforabit eam* (Is. 36, 6). Hinc duo discat Apostolus, humilitatem nempe et mortificationem. Christus post triumphum, post praedicationes, penitus negligitur et quasi vilescit : nemo sive hospitium sive panem ipsi offert, ita ut esuriat et diurnis fessus laboribus noctem sub dio transigat; neque hoc impedit quominus ad ingratos redeat, ut eos caelesti pascat pabulo. Si taliter tractetur apostolus, ne de zelo suo quidquam remittat. *Non est discipulus supra magistrum;* immo gaudeat quod dignus habitus sit pro nomine Jesu contumeliam et penuriam et derelictionem pati.

Contemplare fatigatum Jesum tendentem ad montem Oliveti, ei compatere, eum cum amore sequere et cum eo pernocta.

In fine colloquium et *Pater noster.*

Notanda

Prima nota est, quod in contemplationibus hujus secundae hebdomadae, prout unusquisque vult temporis (plus vel minus) impendere, vel prout profectum faciat, potest extendere vel abbreviare (hebdomadam); si extendere (voluerit, fiet) sumendo Mysteria Visitationis Dominae nostrae ad Sanctam Elisabeth, Pastores, Circumcisionem pueri Jesu, et tres Reges, et sic de aliis; et si abbreviare voluerit, poterit etiam subtrahere (omittere) ex illis mysteriis quae supra posita sunt : quia hoc est tantum dare introductionem quamdam et modum ad postea melius et magis complete contemplandum.

Ex hoc iterum sole clarius apparet quantam facultatem Directori concedat S. P., et quam varie pro variis exercitantibus, modo methodus sancte servetur, accommodanda sint *Exercitia*. *Directori,* inquam; non ut pro lubitu suo vel abbreviet, vel extendat, haec illa aut illa seligat, sed ut pro capacitate et dispositione exercitantis omnia determinet. Ideo S. P., quamvis hic pro *Directore* scribat, de voluntate agit exercitantis : *prout unusquisque vult;* si enim Director advertat hunc, propter fatigationem aut alia de causa extensioni Exercitiorum repugnare, ne ei vim faciat, sed

potius contemplationes contrahat; si autem amat extendi Exercitia, aut si extensio illa ad optatum fructum necessaria est, suaviter director ulterius in mysteriis procedat. Ceterum haec cum iis quae in quarta Annotatione dicta sunt, perfecte consonant. Ibi enim ita ait S. P.: *cum enim contingat in prima hebdomada alios aliis tardiores esse ad inveniendum id quod quaerunt, scilicet, contritionem, dolorem, lacrymas de peccatis suis, item cum alii aliis sint diligentiores, alii, etiam aliis magis agitentur seu probentur diversis spiritibus; necesse est ut aliquando contrahatur prima hebdomada, et contra aliquando protrahatur : et idem fiat in omnibus reliquis hebdomadis subsequentibus :* Nota regulam tenendam quam S. P. subjicit, scilicet finem obtinendum *quaerendo rem, seu fructum proprium juxta subjectam materiam.*

Contrahat igitur Director vel extendat prout Exercitanti contractio vel extensio expediet. Ideo contemplationes omnes, sive in corpore, sive in fine libelli positas, exposuimus, ut omnes in promptu Director habere possit.

Valde attendendum verbis quibus nota concluditur : *quia hoc est tantum dare introductionem quamdam et modum ad postea melius et magis complete contemplandum.* Quamvis multae contemplationes in libello proponantur, eae non

completum quid, sed quamdam tantum introductionem et modum perhibent, nimirum introducunt exercitantem in contemplationem omnium vitae Christi in Evangelio expositorum mysteriorum, eumque modum docent quo illa cum fructu, peractis Exercitiis, contempletur : *melius et magis complete*. Hinc qui in his Commentariis multa alia mysteria insereret, excederet quidem numerum exercitiorum in libello propositorum, sed contra mentem S. P. N. non iret; siquidem Sanctus Fundator dicit ipsemet de Mysteriis a se positis, quod non sint nisi *introductio ad postea,* etc., et quod possint *protrahi aliquando*. Notat S. P. haec, non secundam tantum hebdomadam, sed et duas sequentes respicere.

Secunda (nota), *materia Electionum inchoabitur a contemplatione (discessus Christi) a Nazareth ad Jordanem* (scil. post contemplationem de duobus vexillis et meditationem de Binariis, quae eximia praeparatio sunt ad electionem), *inclusive, sumendo* (hanc contemplationem), *id est, quinta die* (secundum positas in corpore libelli contemplationes); (*tractabitur autem materia electionum) prout in sequentibus declaratur*.

Vult igitur S. P. ut ab illo tempore incipiat

Director exercitanti per partes ac pro opportunitate proponere et explanare tractatum de Electione ad calcem secundae hebdomadae descriptum. Opus autem illud electionis in ipsis contemplationibus, immo et per totam diem, Christo semper ob oculos posito et adjuvante Spiritu Sancto, pacifice et mature peragetur.

EXPLICIT SECUNDUS TOMUS.

ERRATA

Errata			Corrige
p. 71,	l. 14,	altari	alteri.
p. 123,	l. 17,	illo	illi.
p. 127,	l. 25,	ducendus	ducenda.
p. 147,	l. 23,	illigitimi.	illegitimi.
p. 153,	l. 2,	revetantur	revertantur.
p. 173,	l. 24,	podraga	podagra.
p. 194,	l. 6,	et	ut.
p. 200,	l. 28,	irreventiis	irreverentiis.
p. 205,	l. 14,	patietur	patitur.
p. 216,	l. 12,	quae	quae a.
p. 219,	l. 18,	et	ea.
p. 358,	l. 3,	suae	sui.
»	l. 5,	œre	aere.
p. 359,	l. 17,	similata	simulata.
p. 364,	l. 3,	adimplectionem . .	adimpletionem.
»	l. 16,	cum	eum.
p. 365,	l. 9,	parodoxa	paradoxa.
p. 368,	l. 6,	Dei . . . (adde).	Providentiae.
p. 381,	l. 11,	beatudinibus . . .	beatitudinibus.
p. 384,	l. 7,	vox	vos.
p. 411,	l. 16,	eumdum.	eumdem.
p. 416,	l. 23,	oper aeorum . . .	opera eorum.
p. 419,	l. 3,	optatem	optatum.
»	l. 17,	viciscitudines . . .	vicissitudines.
p. 426,	l. 23,	coepissit.	coepisset.

ELENCHUS

Tomi secundi

PARS SECUNDA

Secunda Hebdomada

pag.

Generalis secundae hebdomadae conspectus 5
Contemplatio de regno Christi 11
Methodus ordinariae contemplationis 48

Prima dies

Contemplatio de Incarnatione. 62
Notandum. 76
Contemplatio de Visitatione Dominae nostræ 79
» de Nativitate D. N. J. C. 94
De applicatione sensuum 108
Applicatio sensuum ad Nativitatem Christi Domini . . . 111
Monitiones et mutationes in additionibus 121

Secunda dies

Contemplatio de Pastoribus 126
» de Circumcisione D. N. 136
» de adoratione Magorum 143

Tertia dies

Contemplatio de praesentatione Christi in templo. . . . 156
» de fuga in Ægyptum 164
» de reditu ex Ægypto 172

Quarta dies

pag.
Praenotandum 182
Contemplatio de vita Christi abscondita 183
» de ascensu Christi in templum 196
Praeambulum ad considerandos status 212

Quinta dies

Meditatio de duobus vexillis 222
Praenotanda circa tres Binarios 260
Meditatio de tribus Binariis 264
Notanda circa exercitia sequentia 284

Sexta dies

Contemplatio de Baptismo Christi 287
» de tentationibus Christi in deserto 296

Septima dies

Praenotanda circa vocationem Apostolorum 304
Contemplatio de vocatione Andreae et Petri, Joannis et Jacobi 322
» de vocatione ceterorum Apostolorum . . . 332
» de Nuptiis in Cana Galilaeae 341

Octava dies

Contemplatio de ejectione vendentium e templo 252
» de sermone Christi in monte 363

Nona dies

Contemplatio de sedata a Christo tempestate 403
» de Christo super mare ambulante 412
» de missis ad praedicandum Apostolis . . . 428

Decima dies

Contemplatio de conversione Magdalenae 444
» de multiplicatione panum 457
» de Transfiguratione Christi 465

Undecima dies

pag.
Contemplatio de resurrectione Lazari 481
» de caena in Bethania 496

Duodecima dies

Contemplatio de Dominica Palmarum 503
» de praedicatione in templo 514
Nota de secunda hebdomada contrahenda vel extendenda. 528
Nota de tempore inchoandae materiae electionis . . 528

Mechliniae, Imp. L. & A. Godenne.

6347